This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

AH 5BWM B

ilos—
Eth
910
51

LIBRARY

OF THE

DIVINITY SCHOOL.

FROM THE LIBRARY OF

REV. HENRY WILDER FOOTE

OF BOSTON.

Received 26 March, 1891.

BEATI ALBERTI MAGNI,
EPISCOPI RATISBONENSIS

PARADISUS ANIMAE

SIVE

LIBELLUS DE VIRTUTIBUS.

EDIDIT, PRAEFATUS EST, ET CLERO RATISBONENSI
DICAVIT

J. M. SAILER,
EPISCOPUS GERMANICOPOLITANUS, DIOECESEOS RATISBONENSIS
COADJUTOR ET VICARIUS GENERALIS.

CUM APPENDICE:

BEATI ALBERTI MAGNI
DE SACRO CHRISTI CORPORIS ET SANGUINIS SACRAMENTO TRACTATUS XXXII.

EDITIO NOVA.
1st ed. 1823

RATISBONAE.
Typis ac Sumptibus Georgii Josephi Manz.
MDCCCLXIV.

[illegible] March, [illegible]

From the Library of
Rev. H. W. FOOTE

VENERABILI CLERO
DIOECESEOS RATISBONENSIS
SALUTEM

IN

DOMINO!

FRATRES
IN CHRISTO JESU
DILECTISSIMI!

Accipite, quod dudum vestrum est, Beati Alberti Magni opusculum, mole quidem exiguum ac leve, sed spiritu grande, sententiis grave.

Dixi: „quod dudum vestrum est." Quamquam enim quod Christianus Christianis scripsit, omnium Christianorum esse intelligitur, omniumque manibus volvi terique meretur: vestrum tamen singulari titulo nuncupari posse, et veluti in sinu vestro repositum videtur, quod ab Episcopo Ratisbonensi scriptum, et in nova hac editione Clero Ratisbonensi inscriptum est.

Quidnam vero Doctor insignis, et qua ratione in hoc vestro opusculo scripserit, jam mecum paulo accuratius considerate.

1.

Virtutes nosse et colere Albertus nos docet, quia germanos earum characteres in Patriarchis et Prophetis, in Christo et Apostolis, omnibusque omnium temporum ac locorum veris Dei cultoribus, et, cum ipsemet boni rectique exemplar fuerit, in se ipso expressos intueri, atque intuens ad vivum depingere valuit.

2.

Virtutes veras et perfectas nosse et colere Albertus nos docet; veras, quia in quavis virtute id, quod bonum apparet esse, ab eo, quod bonum est, quia simulacra et larvas virtutum a genuino earum vultu accurate secernit; perfectas, quia non contentus initia et veluti radices pietatis exhibuisse, pulcherrimos insuper justitiae christianae fructus et ipsam perfectionis coronam ob oculos ponit.

3.

Virtutes christianas nosse et colere Albertus nos docet, quia cum divo Paulo fidem in Christum (Cap. XX.) docet, quae per charitatem operatur, quae per spem beatur, quae per opera bona comprobatur,

quae in hac animi rectitudine et vitae sanctitate perseverans, digna sane existit, cui corona gloriae imponatur.

4.

Virtutes christianas nosse et colere Albertus nos docet, quia (Cap. I.) charitatem docet, quae, ut ipsius verbis utar, omnium virtutum mater est et ornamentum, omnium virtutum origo et finis, omnium legum adimpletio, totius perfectionis mensura, et verae beatitatis principium.

5.

Virtutes christianas nosse et colere Albertus nos docet, quia (Cap. XXI.) spem docet, quae ex fide et charitate prognata, certam expectationem futurae beatitatis animo inserit, insitamque conservat et auget; quae viriliter resistit peccatis peccatorumque illecebris, fortiter perdurat in exequendis sanctis propositis, rerum vicibus, etiamsi turbetur, non tamen perturbatur, nec in tolerandis propter justitiam et regnum Dei adversis frangitur; quae, licet constanter se in bonis operibus exerceat, tamen nunquam in suis meritis, sed solum in superabundantia largitatis divinae confidit.

6.

Non aliquas tantum virtutes nosse et colere Albertus nos docet, sed virtutum veluti universum in hoc suo Enchiridio tradit, in nuce Iliadem, ita, ut ab eo praetermittatur nihil, quod verae virtutis charactere insignitum est, et nihil addatur, quod virtutis tantum speciem prae se fert sine anima.

Enumerantur enim *a*) virtutes, quae ad Deum veluti immediato intuitu respiciunt: fides, charitas erga Deum, spes, confidentia, timor Domini, laetitia, congratulatio, gratitudo, contemplatio. (Cap. XX. I. XXI. XXXVI. XXII. XXIII. XXXV. XXV. XXXIII.)

Enumerantur *b*) virtutes, quae ad hominem, cui insunt, referuntur: abstinentia, castitas, confessio (peccatorum), constantia, contemtus mundi, contritio, discretio, fortitudo, humilitas, libertas, patientia, paupertas, prudentia, solitudo, taciturnitas, temperantia, tristitia, veritas. (Cap. VII. VI. XL. XVI. XXXVII. XXXIX. XXXIV. IX. II. XXVII. IV. V. VIII. XXXII. XXXI. XX. XXIV. XVIII.)

Enumerantur *c*) virtutes, quae ad proximum spectant, et humanitatis nomine comprehenduntur: purus amor erga alios, charitatis nomine expressus; compassio, largitas, misericordia, zelus animarum. (Cap. I. XII. XVII. XIX. XIV. XXVI.)

Enumerantur *d*) virtutes, quae connexionem nostram et cum Deo et cum proximo simul complectuntur et explicant: charitas, concordia, justitia, obedientia, pax. (Cap. I. XV. X. III. XIII.)

Enumerantur *e*) illae virtutes, quae sub triplici respectu considerari, et ad Deum, et ad me ipsum, et ad proximum referri possunt: maturitas, religio, poenitentia, perseverantia, simplicitas. (Cap. XXIX. XXVIII. XLI. XLII. XXX.)

7.

Virtutes christianas sic nos docet Albertus, ut non solum intellectum justitiae rudimentis imbuat, sed et animum ad amorem justitiae pertrahat.

8.

Virtutes christianas sic nos docet Albertus, ut et motiva afferat, quae animum ad virtutem amplectendam inducant, et ar-

gumenta, quae virtutem animo jam insitam demonstrent.

9.

Virtutes christianas sic nos docet Albertus, ut non voluminum multitudine aut magnitudine lectorem terreat, sed porrecto quodam manuali suaviter invitet, et fessum recreet.

10.

Virtutes christianas sic nos docet Albertus, ut in libello hoc medullam sapientiae christianae, ex sacris litteris et scriptis Patrum et ex mentis suae sacrario haustam, collegisse videatur.

11.

Nec illud omittendum, quod Albertus in quovis capite tria, quatuor, quinque momenta disquisitionis, quae totidem numeris notantur, prae ceteris in lucem collocet. Unde non solum sacris oratoribus, sed et iis, qui peccata confitentium excipiunt, aegrorum morientiumque lectis assistunt, rudes instruunt, parvulos erudiunt etc. velut aliud agendo materiam dicendi praeparat.

12.

Denique virtutes sic docet Albertus, ut nominis, quod operi inscripsit, mensuram implesse dici mereatur.

Promisit Paradisum animae: promissis stetit, Paradisum dedit. Libellus enim sistit Paradisum animae, quia virtutes, quas commendat, uti verae, perfectae, christianae sunt, ita Paradisum animae construunt, hoc est, vitam coelestem et beatam, quod nomen Paradisi innuit, efficiunt.

13.

Haec est doctrina de virtutibus, quam in XLII capitibus explicat; haec docendi ratio, quam tenuit.

Ceterum Prologus et Epilogus lectoribus, etiam me non monente, semet maximopere commendabunt.

In Prologo enim perspicacitas ingenii et soliditas judicii, in Epilogo vero pulchritudo et modestia animi, quibus dotibus auctor eminuit, elucescunt.

In utroque, et in decursu totius operis inter eos, qui miram gratiae divinae cum libertate humana, et libertatis cum gratia concordiam ignorantes, vel gratiam libertate, vel libertatem gratia destruunt, mediam cum

divo Paulo et Augustino viam constanter tenet, dans Deo soli gloriam, inque bonis operibus justorum et humanae voluntatis merita, et divinae largitatis munera agnoscens.

Epilogus auctoris sit et Epilogus praefantis; nam qua ratione, dilectissimi fratres, legere vos oporteat, ipsimet perbene nostis. Perbene nostis, ita legenda esse sapientum monita, ut, quae lecta sunt, et intelligatis, intellecta in intimo corde reponatis, reposita diu noctuque vobiscum ruminetis, ita, ut ex iis non solum bonorum propositorum flores, sed et, quod rei caput est, bonorum operum fructus enascantur, quodque Poëta de vitis Sanctorum effatus est:

„Sanctorum vitas legere, et non vivere, frustra est;
Sanctorum vitas degite, non legite;"

idem de Alberti virtutibus veris et perfectis dictum velim:

Virtutes non legendas, sed imitandas, non legendas, sed vivendas esse.

Ratisbonae,
Dominica Pentecostes.
1823.

J. M. S.

INDEX CAPITUM

LIBELLI DE VIRTUTIBUS JUXTA ORDINEM, QUO SINGULA EXPLICANTUR.

APPENDIX.

Sancti Alberti Magni, ordinis Praedicatorum, episcopi Ratisbonensis, de sacro Christi corporis et sanguinis sacramento tractatus.

Primum principale circa hoc Sacramentum: de tribus causis institutionis Sacramenti Corporis et Sanguinis Christi.

Sextum principale circa hoc sacramentum: de duodecim effectibus corporis Christi.

Septimum principale: circa sanguinem Christi.

PARADISUS ANIMAE

SIVE

LIBELLUS DE VIRTUTIBUS.

PROLOGUS.

1. Sunt quaedam vitia, quae frequenter virtutum speciem praetendunt, ut, cum vere sint vitia, credantur esse virtutes. Sicut severitas putatur esse justitia: amaritudo mentis dicitur maturitas: jucunda loquacitas dicitur affabilitas: dissolutio creditur spiritualis mentis laetitia: pigritia, sive inordinata tristitia judicatur morum gravitas: tepor, seu torpor creditur discretio: ornatus superfluus creditur munditia: superabundantia in victu et familia vocatur honestas: prodigalitas dicitur liberalitas: avaritia creditur providentia: pertinacia judicatur constantia: dolositas vocatur prudentia: hypocrisis dicitur sanctitas: incuratus in agendis dicitur mansuetus: curiosus dicitur circumspectus: vanigloriosus dicitur honestus: praesumtio dicitur spes: carnalis amor judicatur charitas: protervus accusator vel corrector dicitur zelator justitiae: dissimulans dicitur patiens: pusillanimus ad corrigendum dicitur mansuetus, benignus vel pacificus: et sic de similibus. Sicut autem falsis denariis nihil emitur boni: sic nec falsis virtutibus regnum coelorum comparatur.

2. Sunt etiam quaedam virtutes naturales, quasi naturaliter hominibus inhaerentes: sicut naturalis humilitas, benignitas, modestia, largitas, misericordia, patientia. His similiter, atque similibus nemo meretur praemium aeternum, sive regnum Dei, sed solis virtutibus gratuitis.

3. Sunt etiam quaedam virtutes gratuitae, quas insipientes judicant esse vitia. Sicut justitia judicatur esse severitas: maturitas vocatur apud eos mentis amaritudo: providentia dicitur avaritia: constantia dicitur pertinacia: et sic de omnibus supradictis. Sic etiam, quod fit per humilitatem, dicitur fieri per vanam gloriam. Quod fit per sanctitatem, fieri dicunt per hypocrisin, vel apparentiam. Quod fit zelo justitiae, fieri dicunt zelo vindictae. Quod fit ex charitate, fieri dicunt ex rancore, vel odio. Quod fit per spiritualem dilectionem, fieri dicunt propter carnalem amorem. Quod fit pura intentione, fieri dicunt pro temporali consolatione. Et sic de aliis.

4. Cum autem difficile sit discernere inter vitium et virtutem, cumque gradus sint in virtutibus singulis, quae primo ex mera Dei liberalitate animae infunduntur, infusae radicantur et augentur, auctae perficiuntur: perfectissime intuendum est, quae sint animae virtutes verae atque perfectae, quibus solis gratus efficitur homo apud Deum. Et primo de charitate, quae est mater et ornamentum omnium virtutum.

CAPUT I.

De charitate ad Deum.

1. Charitas ad Deum vera et perfecta est, quando anima cum omnibus viribus suis ardenter se infundit Deo, nullum commodum transitorium, vel aeternum quaerens in eo; sed solummodo propter bonitatem, sanctitatem, perfectionem atque beatitudinem sibi innatam afficitur circa Deum. Delicata enim anima quasi abominatur per modum commodi vel praemii amare Deum; sicut Deus cum omni sua virtute animae hominis se infundit, nihil unquam utilitatis ab ea sperans, sed naturalem suam beatitudinem ei communicare desiderans. Qui autem diligit Deum, quia sibi bonus est; et propter hoc principaliter, ut sibi beatitudinem suam communicet, naturalem et imperfectam charitatem habere convincitur.

2. Inductivum verae charitatis est agnitio Dei vera. Nam in ipso materia totius dilectionis consistit, scilicet: nobilitas, sanctitas, potentia, sapientia, benignitas, pulchritudo, providentia etc. Item dilectio Dei ad nos aeterna, immensa, non interpolata, et fidelissima, inductiva est verae charitatis.

3. Argumentum verae charitatis ponit Dominus in Joanne, dicens: Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. (*Joann.* 14, 21.) Cuius testis est D. Augustinus: Nam, inquit, in tantum Deum diligimus, in quantum ejus praecepta servamus. Idem in-

telligendum est de votis spontaneis, quae obligant aequaliter cum praeceptis. Testimonium perhibet Domino B. Gregorius, dicens: Ad vosmetipsos, fratres charissimi, introrsus redite: si Deum vere amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione Conditoris lingua, mens et vita requirantur. Nunquam est Dei amor otiosus. Operatur etenim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est. Haec autem operum executio, et mandatorum observatio purificari debent ex intentione: ne vel timore alicuius poenae fiant, vel amore praemii compleantur, teste D. Augustino: Deum diligit, qui non ideo imperata custodit, quia vel magnitudine poenae, vel aviditate praemii compellitur: sed quia, quod jubetur, optimum est et honestum.

Sunt et alia duo signa verissimae charitatis ad Deum: scilicet, cum homo congratulatur Deo in omnibus, quae sibi placent, a quocunque homine, quocunque tempore et hora et quocunque loco fiant. Naturalis enim amor nihil laudis a Deo meretur: quia semper se super seipsum reflectit, et proprium commodum suum quaerit; sed solum gratuitus, qui semper tendit in alterum. Secundum signum est: cum homo contristatur Deo in omnibus, quae sibi displicent, a quocunque homine, quocunque tempore et hora, et quocunque loco fiant.

De charitate erga proximum.

1. Vera charitas ad proximum est, diligere proximum sicut seipsum, amicum et inimicum; quemadmodum dicit D. Augustinus: Proximum diligere sicut

seipsum, hoc est: in Deo, ad Deum, et propter Deum. Sic enim debet unusquisque diligere proximum, sicut seipsum. Quia sicut sibi desiderat omne bonum, et fugit omne malum, sic faciat proximo suo. Vel aliter. Sicut unusquisque bonum proprium in corpore et anima, in rebus et honore diligit: et sicut unusquisque in his quatuor fugit et odit omne malum proprium et damnum, sic quilibet in eis omne bonum tam amici, quam inimici debet diligere, et omne damnum odire, licet ex praecepto non tantum, nec tam ardenter ad proximum moveri teneatur, quantum ad semetipsum.

Ex amore amici non potest vera charitas perpendi. Nam et ipsi ethnici eos diligunt, qui se amant. Sed in amore inimici vera charitas perpenditur. Amantem enim diligere, naturae est; quod non est meritorium. Non amantem vero diligere, gratiae est. Sed adhuc excellentius perpenditur veritas charitatis ad proximum, in Glossa super Matthaeum, quae dicit: Amantem diligere, naturae est: non amantem vero beneficiis ad amorem attrahere, perfectionis est. Et licet nemo teneatur ex praecepto, tantum et tam ferventer inimicum diligere, quantum amicum; felix tamen esset, et summe perfectus, qui tantum, et plus posset diligere, et opera charitatis exhibere inimico, quantum amico; corripienti et corrigenti, quantum blandienti; vituperanti, quantum laudanti. Quia teste D. Chrysostomo: Nihil autem est, quod sic Dei similes faciat, ut malignis atque laedentibus esse placabilem. Pro certo enim majorem gratiam et gloriam consequeretur ex persecutione, quam ex favore; si modo debito sciret ea uti. Sic sanctis Martyribus multo magis profuerunt inimici ad aeternam gloriam, quam amici.

2. Ad amorem proximi inducere nos debet natura: quia omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi: et quia imago Dei est in ipso, et praeceptum in scriptura est.

3. Argumenta verae charitatis ad proximum sunt: Vere condolere tam inimico, quam amico in qualibet adversitate: vere et ex corde congaudere de omni prosperitate: quae duo rarissima sunt in mundo.

4. Argumenta veri odii ad proximum sunt, quando aliquis cum gravitate mentis de proximo cogitat; quando cum tristitia mentis eum videt; quando cum amaritudine animi cum ipso loquitur, de ipso loquitur, vel audit loqui; quando etiam omne bonum illius, et quod ei utile est, impedit, quantum potest; quando bonum, quod in ipso est, diminuit et pervertit. Sic non fecit Dominus Jesus traditori suo Judae, qui ipsum tempore traditionis cum aliis dilectis Apostolis corpore et sanguine suo refecit. Et in loco traditionis, non negans ei osculum, benignissime ipsum salutavit: plus dolens de malo illius, quam de proprio incommodo, ut dicit D. Hieronymus. Sed mirabile est, quod unquam aliquis sibi de fraterna charitate applaudit, qui haec signa odii gerit in corde. Multis autem videtur sufficere, si cupiant proximis vitam aeternam, quam nec dare, nec auferre possunt, quam etiam bene optarent Judaeis et Paganis. Nec memores esse volunt, quod cum Dominus animam suam posuerit pro inimicis suis, nos quoque teneamur, non tantum diligere, sed etiam res et animas nostras pro fratribus Christianis ponere tempore necessitatis. Maxime autem Praelati ad hoc tenentur.

5. Ex duobus fovetur charitas. Ad Deum: ex

mandatorum executione, secundum illud: Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut et ego praecepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione. *(Joann.* 15, 10.) Ad proximum: ex compassione: secundum illud Ecclesiastici: Non desis plorantibus in consolatione: et cum lugentibus ambula. Non te pigeat infirmum visitare. Ex iis enim in dilectione firmaberis. *(Eccli.* 7, 38. 39.)

CAPUT II.

De humilitate.

1. Humilitas vera et perfecta est, cum gloria contemnitur exhibita, nec appetitur exhibenda. Vere humilis semper timet, ne sibi aliqua gloria exhibeatur: et cum sibi exhibita fuerit, expavescens medullitus contristatur, sciens, quod soli Deo gloria et honor debentur. Vere humilis nunquam de aliqua gloria vel gratia gloriatur, nisi ex hoc audientibus confidentiam ad Deum praestare intendat. Sed si de ipso gloriosum aliquid, vel aliqua gratia recitatur, hoc cum dolore cordis, et dejectione sui audit; sciens, solius Dei esse, quod sibi adscribitur, cui soli danda est gloria. Vere humilis nec majori, nec minori, nec aequali se comparat: imo nullum inferiorem se credit; nullum omnino spernit, et, nisi se solum, ex corde despicit; atque ab omnibus despici ferventer appetit, gaudetque vehementer, cum despectus fuerit. Talis nullam timet contumeliam, quia nullam amat gloriam. Est, qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo.

(*Eccli.* 19, 23.) Sed verus humilis, teste D. Bernardo, vilis vult reputari, non humilis praedicari. Amans humilitatem debet radicem humilitatis in corde suo plantare, hoc est, propriam fragilitatem agnoscere; ut se reputet, non solum quam vilis sit, sed etiam quam vilis esse possit; imo etiam, quam vilis hodie fieret, nisi Deus violenter eum a peccatis retraxisset, et nisi illi tentationes subtraheret. Ibi quilibet se cognoscere potest; atque etiam ex sua fragilitate se esse dispositum ad abyssum et voraginem omnium vitiorum, juxta illud: Humiliatio tua in medio tui. (*Mich.* 6, 14.)

2. Ad veram humilitatem inducit frequens in despectis operibus exercitatio; dicente sacra scriptura: quod nunquam ad humilitatis virtutem perveniet, qui opera humilitatis refugit.

3. Fovetur vera humilitas ex eo, quod homo vere cognoscit, nullam per se carnalem vel spiritualem tentationem posse vincere: nec minus opus bonum ac Deo gratum, sine speciali auxilio Jesu Christi, posse perficere.

4. Argumentum verae humilitatis est, cum homo in tantum se dejicit, quod omni gratia se indignum esse sentit; nec audet etiam aliquam gratiam appetere; et si a Deo super ipsum absque suo desiderio aliqua effluxerit, cum timore percipit. Imo laudabilius judicat esse, carere Dei gratia, quam eam habere, quam toties diversis modis demeruit ac deturbavit, qua nunquam secundum Dei ordinationem fruebatur. Item argumentum verae humilitatis est, semper infimum locum, infimos socios, infimum officium, et infima vestimenta quaerere.

5. Superbia mentis dupliciter agnosci potest.

Argumento extrinseco, secundum illud: Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. (*Eccli.* 19, 27.) Sicut arbor bona vel mala ex fructu bono vel malo perpenditur: quia omnia facta ex corde, alias cogitatione, procedunt, ut dicit D. Augustinus. Sicut odor bonus, vel malus ex stomacho incorrupto, vel corrupto progreditur: ut ex speciebus bonis vel malis in stomacho repositis. Et sicut impudicus oculus, teste D. Augustino, impudici cordis est nuntius: ita signa exteriora produnt hominum intentionem. Argumento intrinseco agnosci potest superbia, cum aliquis in corde sibi ipsi placet, aliis se praefert, et praeferri desiderat, cumque in factis suis hominibus placere desiderat et affectat. Talis cum humili magistro Jesu Christo non concordat, qui nec sibi complacuit, teste Apostolo Paulo, sed improperium hominum expectavit et miseriam. Nec venit praeesse, sed subesse, ipso teste: Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. (*Matth.* 20, 28.) Ideo talis magister discipulorum, qui non Deo, sed hominibus placere volunt, dissipat ossa virtutum, qui, teste Psalmista, tandem confundentur, quoniam Deus sprevit eos. (*Ps.* 52, 6.)

CAPUT III.

De obedientia ad Deum.

1. Obedientia vera et perfecta est ad Deum, cum homo diligenter et saepe recogitat, quid maxime et quolibet tempore et loco placeat Deo, et ad quid sapiens Deus eum praecipue ordinavit, et hoc toto nisu semper implere contendit.

De obedientia ad Superiores.

2. Sed vera obedientia ad vicarios Jesu Christi, scilicet praelatos est, cum subditus, quod sibi maxime contrarium est, fideliter et libenter exequitur: nunquam manifestans signo, verbo vel facto, quod sibi contrarium sit praeceptum. Sed ibi vera obedientia non potest perpendi, ubi subditus praeceptum excogitat, et opus, quod sibi placuerit, ipse dictat, dicente D. Augustino: Optimus minister tuus est, Domine, qui non magis intuetur hoc a te audire, quod ipse voluerit; sed potius hoc velle, quod a te audierit.

Verus obediens nunquam praeceptum exspectat, sed solum voluntatem Praelati sciens vel credens ferventer exequitur pro praecepto, exemplo Domini nostri Jesu Christi, cui voluntas et complacentia Patris summum mandatum fuit.

Verus obediens nunquam de factis suis ordinat, nec secundum sensum suum judicat, nec cuiquam de factis suis sensum suum indicat, cum nec velle habeat nec nolle; sed omnem ordinationem circa se simpliciter et secure Deo committit et Praelato.

Verus obediens non discernit, utrum bonum vel malum, sicut Abraham non discrevit, utrum bonum vel malum esset, occidere filium suum, Domino jubente. Nec discernit inter bonum et melius; nam semper optimum esse judicat, etiam in dubio, quod jubetur; nisi manifeste appareret, iniquum esse mandatum. Tunc namque secundum D. Gregorii consilium, sciendum est, quod nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitti. Iterum D. Gregorius: Sed quia

nonnunquam nobis huius mundi prospera, nonnunquam vero jubentur adversa, sciendum summopere est, quod obedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cum mundi huius successus praecipitur, cum locus superior imperatur, is, qui ad percipienda haec obedit, obedientiae sibi virtutem evacuat, si ad haec etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitae prospera, libidini propriae ambitionis servit. Rursum, cum mundi despectus praecipitur, cum probra adipisci et contumeliae jubentur, nisi ex seipso animus haec appetat, obedientiae sibi meritum minuit; quia ad ea, quae in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit. Et paulo post: Debet ergo obedientia et in adversis ex suo aliquid habere: et rursum in prosperis ex suo aliquid omni modo non habere, quatenus et in adversis tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur, et in prosperis tanto sit verior, quanto a praesenti ipsa, quam divinitus percipit, gloria, funditus ex mente separatur.

3. Inductivum verae obedientiae est summa obedientia Jesu Christi, qui non solum Deo Patri obedivit per omnia, dicens: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat; (*Luc.* 22, 42.) sed etiam hominibus, bonis et malis subditus fuit, imo et daemonibus.

Item, quia omnia sensibilia et insensibilia obediunt Deo, et illa subjecit homini, ut se cognosceret subjiciendum esse Deo. Sol et luna obedierunt Josue; terra Moysi, cum absorbuit Core, Dathan, et Abiron; mare Petro ad calcandum, et Moysi, cum submergeret Pharaonem et exercitum ejus; serpentes Magis in

Aegypto; bestiae eremitis, et sanctis patribus in Aegypto, ut legitur in vitis patrum; aër, nix et grando Samueli; pluvia Eliae, et ignis eidem, qui devoravit duos quinquagenarios; aves sanctissimo Patri Francisco; daemones Apostolis; et sanctis hominibus aegritudines, a quibus eos liberaverunt; et multae creaturae Moysi in Aegypto. Et quia omnia obediunt Deo, in coelo, sub coelo, in purgatorio et inferno, ideo homo merito deberet Deo in omnibus obedire, ejus praecepta et voluntatem exequendo.

4. Argumentum verae obedientiae habet D. Bernardus. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, praeripit praecipientem: parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri: totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Idemque D. Bernardus: Omnis bonus obediens dat suum velle, et suum nolle (scilicet in manibus sui Praelati), ut possit dicere: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Paratum, quodcunque praeceperis, facere: paratum ad nutum, nutu citius obedire: paratum tibi vacare, proximis ministrare, meipsum custodire, et in coelestium contemplatione requiescere.

5. Argumentum inobedientiae est, cum subditus mandatum Praelati injustum reputat, et ex hoc in corde murmurat; deinde mandatum se implere non posse, nec debere excusat; postea diversas vias evadendi subtiliter excogitat; ad ultimum aliquos inducit, qui consiliis vel precibus mandatum impediant, vel retractent. Sic non fecit Abraham, qui nocte abiit, ut mandatum subito expleret, relinquens servos in pede montis, ne ipsum in occisione charissimi filii impedirent. Ideo largam benedictionem promeruit sibi et suo semini.

CAPUT IV.

De patientia.

1. Patientia vera et perfecta est, cum aliquis sustinet patienter injurias, non solum cum reus est, sed etiam cum innocens est, exemplo B. Job dicentis: Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus. *(Job* 17, 2.) Et licet intolerabilior sit injuria innocenti, quam culpabili; tamen multo suavius sufferri potest et debet injuria, cum nihil conscientiam remordet de culpa aliqua, quam si, praecedente culpa aliqua, molestiam meruisset; teste B. Petro, qui ait: Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in nomine isto. Melius est enim ut benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes. Quae enim est gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum. *(I. Petr.* 4, 15. 16. 3, 17. 2, 20.)

2. Laudabilis est ista patientia, quae non tantum a malis, sed etiam ab eis, qui videntur esse boni et amici, nec tantum pro malis operibus, verum etiam pro benefactis sibi illatas patienter suffert injurias. Tunc anima amica Dei est inter filias, sicut lilium inter spinas. *(Cant.* 2, 2.) Lilium enim, quamvis pungatur a spinis, candorem tamen retinet, fortiorem emittens odorem, quam si non pungeretur. Sic anima, sponsa Dei, si ab eis, qui videntur esse de numero filiorum Dei et consortio, pungatur, non tamen ad

impatientiam provocatur, sed candorem bonae conscientiae, et bonae famae odorem diligentissime servare conatur.

3. Ille vere patiens est, qui non solum molestias illatas patienter tolerat, sed etiam inferendas desiderat, exemplo Jesu Christi, dicentis: Improperium exspectavit cor meum et miseriam. (*Psalm.* 68, 21.)

Vere patiens inter flagella non murmurat, exemplo Job (1, 22.), qui inter pressuras nec stultum quid contra Deum locutus est; sed mente gaudet hilari de illatis molestiis, et ex corde gratias agit.

Vere patiens pro illata injuria nunquam se excusat, etiam requisitus, fidelissimo Deo in omnibus se committens, qui utique tempore suo omnium innocentiam manifestabit; sicut Dominus Jesus interrogatus a Pilato non respondit.

Vere patiens injuriam suam nulli conqueritur; quia ex querela et excusatione mens quandoque alleviatur, quam alleviationem minime curat; sed solus cum Deo molestiam suam portat, donec pius et fidelis Dominus illam per internam consolationem repellat.

4. Tria sunt, quae merito inducant ad veram patientiam. Unum est: cognoscere, quod peccatis nostris exigentibus aeternam et amarissimam gehennae poenam meruimus, pro cuius recompensatione molestia corporali affligimur. Aliud est: quod Dominus Jesus Christus longo tempore multis, variis et magnis injuriis promeruit, ut, vicem sibi rependentes, brevi tempore molestemur. Tertium est: quod ipse Deus justus secundum longitudinem, magnitudinem et asperitatem molestiarum reponderabit omnem longitudinem, diuturnitatem et delectationem dulcedinemque gaudiorum;

teste apostolo Paulo, dicente: Id enim, quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate, aeternum gloriae pondus operatur in nobis. *(II. Cor.* 4, 17.)

5. Argumentum verae patientiae est, non se vindicare, cum possit; et etiam prohibere vindictam ab aliis, exemplo David, qui prohibuit occidi Semei, qui lapides et lutum contra eum projiciens virum sanguinum eum appellavit. Sed potius vere patiens devote supplicat pro injuriantibus, quod et fecit Dominus Jesus Christus efficaciter pro suis crucifixoribus, et B. Stephanus pro lapidantibus. Imo etiam cogit Dominum injuriantibus misereri, sicut fecit Moyses dicens: Aut dimitte eis hanc noxam; aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. *(Exod.* 32, 32.) Tales orationes libenter audit Deus, et exaudit. Unde isti, scilicet David, Christus et Stephanus fuerunt pro adversariis exauditi.

6. Argumentum impatientiae est, cum aliquis propter illatam molestiam ex motu interiori sponte dimittit bona opera, quae commode facere posset et deberet; tunc enim luit Deus molestiam ab homine irrogatam. Idemque motus interior vix se abscondere potest, nisi erumpat vel in vultu, vel in gestibus, vel in verbis. Haec est periculosissima impatientia, cuius vindicta vergit in Deum innocentem.

CAPUT V.

De paupertate.

1. Paupertas vera et perfecta est, omnia propter Deum sponte et libenter relinquere, nihil praeter solam necessitatem possidere, eademque necessitate se indignum sentire; imo etiam ipsa necessitate quandoque propter Deum et propter paupertatis amorem libenter carere. Ubi enim non est necessitas, ibi non potest perpendi vera paupertas. Sic Dominus noster Jesus Christus necessitate cibi caruit, cum nec sibi, nec discipulis suis spicas confricantibus, panem habere potuit. Qui similiter vestium necessitate caruit, quando (teste D. Bernardo) ante crucem penitus nudatus fuit. Qui etiam sitiens in cruce haustum aquae habere non potuit, nec lapidem, nec asserem, in quo moriens crucifixum caput reclinaret. Heu, quam saepe est ibi superfluitas, ubi creditur vera esse necessitas.

2. Verus pauper nulla transitoria concupiscit, imo oblata respuit, exemplo Elisaei, qui munera Naaman non accepit; exemplo Danielis, qui dona Balthasar regis contemsit, Ille paupertatem vere amat, qui potius mereri vellet per paupertatem parvam gloriam in coelesti regno, quam magnam per divitias; et hoc propter conformitatem Jesu Christi.

3. Ad amorem verae paupertatis inducere nos debent tria, secundum D. Bernardum. Nihil, inquit, Deo charius, nihil angelis amabilius, nihil hominibus fructuosius, quam in paupertate obediendo vitam finire. Quod autem paupertas Deo placeat, testatur idem Ber-

nardus: In sinistra, inquit, Dei divitiae et gloria; in dextera longiturnitas vitae. Horum omnium aeterna in coelis affluentia suppetebat; sed paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat, et superabundabat haec species, et nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei Filius concupiscens, descendit, ut eam eligat sibi, et nobis quoque sua aestimatione faciat pretiosam.

Est et aliud inductivum verae paupertatis, scilicet gloria assessionis Domini, veniens ex eo, quod pauperes ignobiles ad latus Christi sedebunt in judicio, nobiles et divites judicantes. Eja, quam laudabile est Deo, pure omnia propter ipsum relinquere, pauperem propter amorem Dei sponte fieri, in Deo confidere super omnia, quod tam potens sit, semel vel bis in die ministrare corpori necessaria, quae minima reputantur coram Deo. Nam ea tribuit inimicis abundantius, quam amicis, sicut potens est, die ac nocte, et momentis singulis ministrare spiritui abundantiam spiritualium donorum, quae maxima sunt coram Deo. Nec ea communicantur inimicis, sed solum bonis, qui sunt ejus amici.

4. Argumentum verae paupertatis est, nullam solicitudinem habere de transitoriis; sed simpliciter et secure se Deo committere, qui avibus et vermibus semper necessaria large subministrat; et praecipue pullis corvorum in nido prae fame vagientibus, quos antiquus corvus niger propter albedinem, quasi filii sui non sint, famelicos derelinquit, qui vel ex largitate Dei, vel ex rore aëris pascuntur, donec ipsis nigrescentibus corvus succurrat, vel cyniphes et mus-

eas deglutiant, quae spumae rostrorum inhaerent, cum famelici adhuc fortiter clamare non cessant.

5. Argumentum falsae paupertatis, vel avaritiae est: libenter munera praeter necessitatem petere, vel ea libenter et frequenter accipere. Talis libertatem suam vendit, juxta illud Philosophi: Munera accipere, est libertatem vendere. Etiam dicit Scriptura: Non accipies munera, quae excaecant oculos sapientum, et mutant verba justorum. (*Deuter.* 16, 19.) Quomodo enim paupertatis est amator, qui nullum defectum vult sustinere, et munera non necessaria libenter et frequenter accipit, imo petit, et cum quadam subtilitate extorquet, et praeter necessitatem conservat?

CAPUT VI.

De castitate.

1. Castitas vera atque perfecta est, cum non solum corpus a pollutione carnali custoditur; imo etiam anima a concupiscentia carnali munda servatur; exemplo Sarae dicentis: Tu scis, Domine, quia nunquam virum concupivi, et mundam servavi animam ab omni concupiscentia. (*Tob.* 3, 16.) Imo et ab iis, quae praestant occasionem concupiscentiae. Et hoc est, quod sequitur ibidem: Nunquam cum ludentibus miscui me; neque cum iis, qui in levitate ambulant, participem me praebui. (*Tob.* 3, 17.)

2, Ille vere castitatem amat, qui potius per castitatem virginalem (si possibile esset) modicam eligeret

gratiam in praesenti, et gloriam in futuro, propter conformitatem Christi Jesu, quam si mereri posset gratiam et gloriam majorem per debitum conjugale.

3. Ad amorem castitatis inducere nos debet exemplum Domini nostri Jesu Christi, matris ejus, et sanctarum virginum, quae olim pro conservatione castitatis regna mundi contemserunt, et vitam sponte perdiderunt, sicut B. Agnes, Catharina, Agatha et aliae innumerabiles his similes. Et praecipue castitas mulierum ac virginum paganarum, de quibus scribit D. Hieronymus, quod mortem elegerunt, ut pudicitiam servarent. Item munditia et libertas, castitatem sequentes, inducere nos debent et invitare ad castitatem. Item gloria castitati a Domino nostro Jesu Christo promissa. Qui vicerit, inquit, (scilicet carnis concupiscentiam) dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. (*Apoc.* 3, 21.) Nam incorruptio facit esse proximum Deo. (*Sap.* 6, 20.)

4. Conservant autem castitatem, et inductiva sunt ejusdem: victus parcitas, cultus vilitas, corporalis incommoditas, et fugere locum et tempus impudicitiae opportunum. Quod si Dina, filia Jacob fecisset, capta non fuisset, quando venit ad festum, ut videret mulieres regionis illius.

Item vitare omnes suspectos. Debet autem cuilibet foeminae quilibet masculus esse suspectus. Ex hoc enim Thamar, filia David a proprio fratre Amon corrupta fuit, quia eum suspectum non habuit, quando ei soli tanquam infirmo ministravit. Similiter unicuique viro suspecta esse debet quaevis mulier, etiam sancta, secundum consilium D. Hieronymi dicentis: Si castitatem servare volueris, foeminam, quamvis bene con-

versantem, si videris, mente dilige, non praesentia corporali.

Praecipuum autem conservativum castitatis est: delectari in Domino; tunc enim omnia alia vilescunt. Gustato enim Spiritu, desipit omnis caro. Unde D. Gregorius: Qui enim terrenarum rerum amore vincitur: in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima nunquam potest. Nam aut infimis delectatur, aut summis. Et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima. Quantoque acriori cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit a summis. Utraque enim simul et aequaliter amari non possunt.

5. Argumentum verae castitatis est refraenatio quinque sensuum ab illecebris carnis, et subtractio cordis a vanitatibus, cogitationibus, et delectationibus. Nam ex delectatione visus in videndo, gustus in gustando, odoratus in olfaciendo, tactus in tangendo, pedum in ambulando, oris in ridendo et loquendo nasci solent carnalia desideria, quae animam ad impudicitiam aut emolliunt, aut inclinant.

6. Argumentum, sive inductivum impudicitiae est intemperantia potus et cibi. Ex hoc enim Noë impudice nudatus fuit. Et Loth cum propriis filiabus incestum commisit. Ideoque praecipit Apostolus, dicens: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Eph.* 5, 18.), scilicet per occasionem.

Item impudicus oculus impudici cordis est nuntius, teste D. Augustino. Similiter impudica verba, impudicus incessus, et colloquium mulierum, teste Ecclesiastico: Propter speciem mulieris multi perierunt; et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. (*Eccli.* 9, 9.)

Similiter colloquium viri mulierem inflammat. Item diligens consideratio incessus et formae alterius ad impudicitiam provocat. Quod dissuadet Ecclesiasticus, dicens: Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. *(Eccli.* 9, 5.) Idem cavendum foeminae ad virum, ne de viro cogitet, et ad eum ne oculos habeat: et viri ad foeminam similiter. Hoc salubre consilium sequebatur Job: Pepigi, inquit, foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *(Job.* 31, 1.) Quod plus est, quam solum cavere a conventu virginum.

CAPUT VII.

De abstinentia.

1. Abstinentia vera et perfecta est, tantum usus necessariorum, victus et vestitus, et omnimoda subtractio delectabilium et superfluorum, eorum, quae multa diligentia fiunt, et magnis sumtibus comparantur, exemplò S. Joannis Baptistae, qui locustas comedit, et folia arborum lactearum, saporem mellis habentia, et aquam bibit, et vestem de pilis camelorum habuit. Unde Apostolus: Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus; *(I. Tim.* 6, 8.) quiá servus Dei non debet habere vestimentum ad decorem, vel ad delectationem, sed ad tegendum suam nuditatem, sicut dicit Glossa ordinaria in Matthaeum de veste Joannis.

2. Ille veram abstinentiam servat et amat, qui non solum libenter abstinet a delectabilibus, quae non

habet, et quae ipsi sunt illicita; sed etiam vitat sponte et pure propter Deum delectabilia, quae habet, et quae habere potest, quibus licite et meritorie uti posset, sive cara sint, sive vilia, sive delectabilia. Nam si quis plus delectaretur in pultibus, quam in perdicibus, in aqua, quam in vino; acceptior esset Deo a pultibus, quam a perdicibus, ab aqua, quam a vino abstinere. Dicit enim D. Augustinus: Deliciae quaelibet, si absque desiderio sumantur, non officiunt. Et cibi viles, delectabiliter vel appetenter accepti perfectae abstinentiae impediunt virtutem. David enim aquam male concupitam effudit, quam non fuit ausus potare, quia eam maxime concupierat. Elias carnem non concupitam, sed a Deo per corvum missam comedit. Hoc testatur Esau, qui non propter gallinam, sed propter lenticulam irrecuperabilem benedictionem amisit. Nec solum abstinendum est a delectabilibus corporis, sed etiam ab eis, quae delectant animam; scilicet a vanitatibus, a vanis colloquiis, a gaudio temporali, a peccato mortali, et ab amicitia carnali. Haec abstinentia melior est, atque etiam laudabilior, quam prima.

3. Inductiva verae abstinentiae sunt duo. Unum, quod nunquam cum debita gratitudine dona Dei percepimus, et nunquam ad debitum finem, neque secundum ordinationem divinam eis fruimur, et ex hoc gravem Dei iram incurrimus. Alterum est, quod de omnibus donis perceptis strictam rationem reddere debemus, quo scilicet fine ipsa sumserimus, vel pro nostra necessitate, vel pro communi utilitate. A quibus autem quisque abstinet, de illis reddere rationem non oportet.

Duplex autem utilitas sequitur abstinentiam, sci-

licet divinorum secretorum cognitio, et desideriorum exauditio. Quae duo patent in Daniele, qui cum uti nollet cibo et potu regio, sed aqua cum leguminibus, cunctos magos et ariolos transcendit in cognitione visionum atque somniorum. Secundo, quia ad preces ejus septem anni, quibus Nabuchodonosor vivere debuit ut bestia, mutati sunt in septem menses. Idemque cum impetrasset a Deo regibus spiritum licentiandi populum, ut rediret in Hierusalem, impetravit et populo voluntatem redeundi, cum redire tardaret. Qui in multis desideriis suis et mysteriis exauditus fuit propter abstinentiam, quod ipse testatur, dicens: In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum. Sed neque unguento unctus sum. Et ideo dixit angelus ei: Ex die primo, quo posuisti cor tuum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. *(Dan.* 10, 12.) Tertium potest addi, quod ipsa abstinentia sit misericordiae Dei impetratio, ut patet in Ninivitis, qui per abstinentiam misericordiam Dei impetraverunt, Jona praedicante.

4. Mirari possumus, sed non imitari abstinentiam sacerdotum antiquorum, de quibus scribit D. Hieronymus, quod a carnibus et vino abstinuerunt semper, propter tenuitatem sensus, et vertiginem capitis, quam ex parvo cibo patiebantur, et maxime propter appetitum libidinis, quae ex his cibis et ex hac potione nasci solet. Pane vero raro vescebantur, ne onerarent stomachum. Et si quando comedebant, tusum pariter hyssopum sumebant in cibo, ut escam illam graviorem huius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus

noverant; verum et hoc parum, propter nauseam et asperitatem gustus tollendam. Quid loquar de volatilibus? cum ova propter carnes et lac vitaverint, quorum unum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, solo colore mutato.

5. Argumentum verae abstinentiae est, cum non solum pretiosis et delicatis in sanitate quis uti respuit: sed etiam, cum infirmitas, vel alia necessitas cogit, cum dolore mentis percipit. Item, cum non solum a delicatis, pretiosis et superfluis abstinet; imo etiam necessaria sibi quandoque subtrahit, ut aliis indigentibus impartiri possit, juxta illud D. Hieronymi: Quod manducaturus eras, si non jejunares, da pauperibus, ut jejunium corporis sit sanitas animae, non autem marsupii lucrum etc.

6. Argumentum vero falsae abstinentiae est, vitare pretiosa et delicata tantum eo tempore, quo non habentur; vel propter vanam gloriam, ut laudetur; vel propter parcitatem, ne depauperetur; vel propter avaritiam, ut ditetur; vel ad cavendam corporis infirmitatem, vel ad vitandam infamiam et detractionem; vel ad consequendam aliquam dignitatem, aut transitoriam utilitatem, et non ad promerendam gratiam in praesenti, et gloriam in futuro.

CAPUT VIII.

De prudentia.

1. Prudentia vera atque perfecta est, semper niti ad cognitionem divinae naturae, et profunditatem hu-

manae miseriae. Quam quidem prudentiam optavit D. Augustinus, dicens: Deus semper idem, noverim te, noverim me!

2. Ille veram prudentiam habet, qui solicite agnoscere laborat, quid sit optimum, et hoc toto nisu amplectitur; et quid sit pessimum, et hoc toto corde detestatur.

Ille vere prudens est, qui frequenter pensat, quid bonis, et quid malis futurum sit, quanta delectatio sit bonis, uniri aeternaliter summo bono; et quanta amaritudo malis, separari aeternaliter a summo bono.

Ille vera prudentia fruitur, qui summopere fugit omne id, quod elongat ad tempus a familiaritate Dei, scilicet, peccatum veniale: et quod semper separat a fruitione Dei, scilicet, peccatum mortale.

Similiter ille vera prudentia utitur, qui diligit omnia, quae approximant Deo, scilicet, opera bona: et quae aeternaliter uniunt Deo, scilicet, virtutes, et Spiritus sancti dona.

3. Inductivum verae prudentiae est exemplum Philosophorum, qui tantum pro scientia laborabant, ut scribit D. Hieronymus, quod fugerent urbium atque hominum frequentias, hortules suburbanos (ubi ager aquis irriguus, et arborum comae, et susurrus avium, oculorumve illecebrae:) ne luxu et abundantia copiarum animi fortitudo mollesceret, et ejus prudentia constupraretur. Inutile quippe est, crebro videre, per quae aliquando captus sis, et eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Similiter et Pythagoraei in desertis locis habitare consueverunt; et quosdam legimus sibi effodisse oculos, ne per eorum visum a contemplatione Philosophiae avocarentur. Quod si quis

aestimat, abundantia ciborum potionumque se frui, et posse vacare sapientiae, hoc est, in deliciis versari, et deliciarum vitiis non implicari, nec teneri, se ipsum decipit. Sensus enim noster illud cogitat, quod videt, audit, odorat, gustat et attrectat; et ad id trahitur appetitus, cuius capitur voluptate. Quanto magis nos, qui divinae sapientiae studere debemus.

Ad idem nos inducere debet multorum damnatio ex imprudentia, juxta illud Isaiae: (5, 13.) Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Et Baruch: (3, 28.) Quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam.

4. Officium prudentiae est ordinare cogitationes cordis, ne extra Deum vagentur: affectiones mentis, ne circa creaturas occupentur: voluntates, ne a Deo avertantur: intentiones, ne misceantur, sed purificentur: judicia et suspiciones, ut ad melius convertantur. Similiter omnia verba, facta et incessus ordinare debet, ut ad debitum finem omnia fiant, pro communi utilitate, et omnium emendatione. Nam, teste Salomone, sapientia hominis lucet in vultu ejus, (*Eccle.* 8, 1.) hoc est, in conversatione exteriori. Qui sic ordinatus est, habet argumentum verae sapientiae. Item de hoc dicit D. Bernardus: Quotidiana discussione examina vitam tuam. Attende diligenter, quantum profeceris, quantum defeceris: qualis sis in moribus, qualis in affectibus: quam similis et dissimilis Deo. Stude diligentissime teipsum cognoscere; quia multo melior es, si teipsum cognoveris, quam si te neglecto cursus siderum et vires herbarum cognoveris.

5. Argumentum falsae prudentiae est, niti cognoscere cursus siderum, vires herbarum, virtutes gemma-

rum, tantum propter lucrum. Talis enim scientia non aedificat, sed inflat. Item astutum esse in negotiis saecularibus, falsam indicat prudentiam. Imo stulta est, teste Apostolo, qui ait: Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. (1. *Cor.* 3, 19.) Tales, heu, multi sunt: ideo conqueritur Dominus Jesus, dicens: Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. (*Luc.* 16, 8.) Item alii subtiles sunt ad excogitandum nequitias, et novas adinventiones; sed caeci sunt ad considerandum voluntatem Dei. De talibus dicit Jeremias: Sapientes sunt, ut faciant mala: bene autem facere nescierunt. (*Jerem.* 4, 22.) Tales, ut dicit Apostolus, dicentes (et credentes,) se esse sapientes, stulti facti sunt. (*Rom.* 1, 22.)

CAPUT IX.

De fortitudine.

1. Fortitudo vera atque perfecta est, dominari animo suo, cum tentatur animus a superbia, invidia, ira, luxuria, avaritia, vana gloria, complacentia et delectatione carnali, et ratio intelligens nequaquam consentit, sed statim reprimit. Unde illud: Melior est, qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. (*Prov.* 16, 32.) Hanc fortitudinem Samson fortissimus non habuit, licet leonem dilaniaverit, et cum mandibula asini mille viros straverit; quia post propter concupiscentiam mulieris omni fortitudine privatus est.

2. Ille veram fortitudinem habet, qui ab illicitis membra sua sensusque suos reprimit. Illam David non

habuit, qui ursum et leonem occidit, et Goliath interfecit; tamen oculos suos ab illicito visu non cohibuit. Eja, quantae sunt fortitudinis quidam ad jejunandum, vigilandum, castigandum corpora sua ciliciis et flagellis; nec tamen refraenare possunt pedes suos a vitiis noxiis, manus suas ab opere et tactu illicito, aures ab auditu nocivo, et praecipue linguam a verbis damnosis, beato Jacobo dicente: Omnis natura bestiarum et volucrum et serpentum et caeterorum domantur, et domita sunt a natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero (*Jac.* 3, 7. 8.) scilicet est lingua. Tamen sine hac refraenatione non est vera religio, sicut idem dicit: Si quis autem putat se religiosum esse, non refraenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. (*Jac.* 1, 26.)

3. Inductivum verae fortitudinis est, degustatio spiritualis suavitatis. Haec enim roborat mentem ad faciendum bona, ad tolerandum adversa, et ad vincendum vitia, omniaque nociva. Hanc praefiguravit Jonathas, qui gustans parum mellis, illuminatus, et confortatus est ad persequendum inimicos. Sic Moyses percipiens suavitatem mentis ex visione et collocutione divina, tantum confortatus est, ut per quadraginta dies corporali alimento non indigeret.

4. Officium fortitudinis est, firmare intellectum in cognitione Dei, et affectum in dilectione Dei et proximi: roborare mentem inter adversa, ne terreatur; et inter prospera, ne mulceatur. Item mentem animare, ut semper exerceatur in bonis: confortare ipsam, ne unquam vincatur in malis. Primam fortitudinem Paulus habuit, et Stephanus; secundam Mathathias et

Eleazarus, Job et Daniel; tertiam Tobias. Qui hoc in se sentit, de argumento verae fortitudinis securus est.

5. Argumentum fortitudinis falsae, imo pessimae est, multa et magna posse contra Deum committere. De hac D. Anselmus: Peccare non est libertas, nec pars libertatis. Peccare est potius non posse, quam posse. Quicunque enim hoc potest, quod sibi non expedit: quanto magis hoc potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum. Unde Isaias (5, 22.) Vae, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Hanc fortitudinem habuerunt olim persecutores ecclesiae, reges et principes, et hodie habent, et habebunt imposterum Antichristus et socii eius.

CAPUT X.

De justitia.

1. Justitia vera et perfecta ad Deum est redditio debitae laudis in omnibus divinae naturae: debitae gratiarum actionis pro omnibus bonis et donis collatis, et malis perpessis: debitae satisfactionis pro omnibus commissis et omissis: debiti fervidi doloris pro omnibus gratiis neglectis.

2. Ille veram justitiam habet ad Deum, qui Deo fidelis est, semper et ubique, in omnibus praeceptis et votis servandis, qui tantam diligentiam singulis operibus suis et temporibus apponit, quasi tota salus sua in unoquoque dependeat; et qui pure propter Deum

omnia opera sua bona facit, non propter aliquem favorem vel utilitatem praesentis vitae vel futurae; et qui cum debita gratitudine singula dona percipit, et eis secundum ordinationem Dei fruitur semper et ubique.

3. Vera justitia ad proximum est in duobus. Nunquam facere proximo, quod sibi juste non vult fieri: hoc est: nunquam laedere vel offendere proximum verbo, vel facto, vel signo, vel consilio, in rebus, in corpore et honore: nunquam de ipso malum suspicari: nunquam ipsi detrahere: nunquam bonum ipsius pervertere vel diminuere: nunquam eum in bono impedire. Haec enim nemo secundum justitiam sibi vult fieri. Item proximo suo facere, quod sibi juste vellet fieri, hoc est: proximum honorare: bonum de ipso sentire: omnia facta illius, etiam mala, in bonum convertere: semper in bono ejus congaudere, et in malo condolere: innocentiam ipsius semper excusare, et ipsum absentem propugnare. Haec enim secundum justitiam quisque sibi vult fieri. Et dicitur: secundum justitiam, quia judex pro fure nollet suspendi, et tamen furem debet suspendere, quia illud nolle est secundum justitiam. Et praedo libenter vellet spoliari, ut sibi liceret spoliare, quod tamen facere non debet, quia illud velle non est secundum justitiam. Item justitiam veram ad mortuos servat, qui testamenta secundum ordinationem ipsorum expedire non tardat, qui jejuniis, orationibus, eleemosynis secundum eorum confidentiam poenas ipsorum pro posse suo alleviat et abbreviat. D. Bernardus: Poenae illorum, qui sunt in purgatorio, per jejunia, orationes et eleemosynas abbreviantur. Item justitiam ad angelos servat, qui salutaribus eorum consiliis ad-

quiescens gloriam ipsis ex hoc debitam non retardat, quam pro impenso nobis obsequio promerentur.

4. Inductivum verae justitiae est, quod dicit David: Justus Dominus, et justitias dilexit. (*Ps*. 10, 8.) Item justo promittitur in praesenti spes et laetitia, secundum illud: Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo. (*Ps*. 63, 11.) Item justis indicitur exultatio et laudatio, secundum illud: Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio. (*Ps*. 32, 1.) Item, quia justis praedicitur securitas in judicio, secundum illud: Stabunt justi in magna constantia. (*Sap*. 5, 1.) Item justis fit aeternae vitae promissio, secundum illud: Justi in perpetuum vivent. (*Sap*. 5, 16.) Et quidquid boni Deus in scriptura pollicetur, hoc maxime per justitiam acquiritur.

5. Officium verae justitiae est, rectificare cognitiones et affectiones, ut semper in Deo sint: voluntatem, ut conformis sit divinae voluntati: intentiones, ut semper in Deo sint, et ad laudem ejus cuncta referamus. Similiter omnia verba et facta dirigere, ut semper ad aliquem specialem et rectum finem fiant. Et in his est argumentum verae justitiae.

6. Argumentum vero injustitiae est, usurpare sibi, quae proprie Dei sunt, scilicet amorem, laudem, honorem, vindictam; vel quae proximi sunt, et proximo debentur. — O Deus meus, dirige gressus meos, ut non dominetur mei omnis injustitia. (*Ps*. 118, 133.)

CAPUT XI.

De temperantia.

1. Temperantia vera et perfecta est justa moderatio motuum interiorum, et exteriorum operum.

2. Ille veram temperantiam habet, qui non solum moderatur cor suum a pravis cogitationibus et inutilibus; sed etiam servat modum in bonis, ne saepius vel diutius cogitationes bonae inhaereant, quam justum tempus requirat; quia officiales cogitationes, licet utiles sint, tamen non sunt tractandae infra divinum officium, secundum quod dicit D. Bernardus: Spiritus sanctus illa hora non recipit, quidquid aliud, quam debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris, cuius semper facere voluntatem ad ejus voluntatem, ipso inspirante, possumus.

Similiter vere temperatus moderatur suas affectiones et passiones, quando aliquid vel nihil sperare debet vel timere, et quantum et quamdiu, de quo aliquid, vel nihil gaudere debeat, vel dolere, et quantum et quamdiu; de quo amorem, vel odium, vel pudorem habere vel non habere debeat, et quantum et quamdiu.

Similiter moderatur intellectum, ne ampliori tempore, quam oportet, se occupet circa aliquid intelligendum.

Similiter moderatur voluntatem, qualis et quanta esse debeat, et intentionem, qualis et quanta esse debeat, et ad quem finem. Similiter liberum arbitrium ponderat, quantum eligere bonum debeat, et quantum reprobare malum.

Similiter vera temperantia moderatur linguam, quando scilicet loquendum, quando tacendum, et quamdiu, hoc est, tempore opportuno; cui loquendum, scilicet hominibus non suspectis; quando loquendum et ubi; scilicet tempore et loco non suspecto; qualiter loquendum et quantum, scilicet mature, cum pondere, numero et mensura; propter quid loquendum, scilicet propter necessitatem vel utilitatem: pro quibus negotiis, scilicet animae et corporis. Similiter moderatur facta et mores, et motum omnium membrorum, ut secundum Apostolum omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. (*I. Cor.* 14, 40.)

3. Ad veram temperantiam nos inducere debet sapientissima ordinatio divina, quae omnia disposuit in mensura, numero et pondere, Secundum hanc ordinationem omnis actio nostra, mores, et vita nostra debent esse mensurata, numerata et ponderata, hoc est, in virtute Patris, cui mensura, in virtute Filii, cui numerus: in virtute Spiritus sancti, cui pondus adscribitur.

Ad idem nos inducere debet exemplum temperantiae Apostoli dicentis: Sine offensione estote Judaeis et gentibus, ecclesiae Dei; sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. (*I. Cor.* 10, 32. 33.) Ille vere temperatus fuit, qui nullum offendit, et omnibus placere studuit.

4. Argumentum verae temperantiae habet, qui se moderatur in victu, vestitu, somno, in omni commodo carnali, et in laetitia temporali, nullam superfluitatem, neque inordinatam dilectionem, sed puram necessitatem in omnibus his admittens.

Vere temperatus in omnibus modum servare niti-

tur, praeterquam in amore, et laude Dei, et gratiarum actione. Nam magnus Dominus et laudabilis nimis. (*Ps.* 47, 2.) Ideoque sine modo, sine mensura, sine fine amandus et laudandus est.

5. Argumentum intemperantiae est, cum aliquis distortos habens mores omnes secum commorantes disturbat et inquietat, in nullo cuiquam se conformat; sed quod sibi placet, hoc approbat, et hoc perficere contendit, omnibus importabilis, sibi ipsi intolerabilis. Unde D. Augustinus: Jussisti, Domine, et ita factum est, ut poena sua sibi sit omnis inordinatus animus. At quanto magis aliis. Talis fuit Ismael, de quo scriptum est: Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum. (*Gen.* 16, 12.)

CAPUT XII.

De compassione.

1. Compassio vera et perfecta ad Deum, est tristitia incessanter in corde vulnerari pro omnibus injuriis Deo illatis, et adhuc inferendis in se, et in amicis suis: quos qui tangit, quasi qui tangit pupillam oculi sui. Omnia enim elementa compassa fuerunt Christo in cruce morienti.

2. Ad proximum vera compassio, est condolere medullitus afflictionibus proximorum, tam spiritualibus, quam corporalibus, exemplo Apostoli dicentis: Quis infirmatur, et ego non infirmor? (*II. Cor.* 11, 29.) ubi dicit Glossa: Quis infirmatur vel in fide, vel in aliqua

virtute: et ego non infirmor? id est, non condoleo de eo, sicut de me ipso? Quis scandalizatur de aliqua molestia: et ego non uror, igne compassionis?

Ad proximos autem, qui sunt in purgatorio, vera compassio est, vehementer affligi pro acerbitate poenarum, quas sustinent: et praecipue, quod a visione et fruitione Dei interim separantur: et Deus interim plenarie ab ipsis non laudatur, et in illa afflictione et compassione incessanter et ardenter Deo supplicare, ut eos a tanta acerbitate et asperitate dignetur eripere.

3. Ad veram compassionem inducere nos debet abundantissima Christi compassio ad nos, qui teste D. Augustino sic festinat absolvere peccatorem a tormento conscientiae suae, quasi plus eum cruciet compassio miseri, quam ipsum compassio sui. Nec solum compassus est, imo vero languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. (*Isai* 53, 4.) Hoc idem membrorum natura suadet, teste Apostolo: Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. (*I. Cor.* 12, 26.) Item duplex est utilitas compassionis, quae etiam nos allicere debet ad compassionem: scilicet charitatis confirmatio, et Christi conregnatio. De prima dicitur in Ecclesiastico: Non desis plorantibus in consolatione: et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum; ex iis enim in dilectione firmaberis. (*Eccli.* 7, 38, 39.) De secunda autem dicit Apostolus: Si sustinebimus, et conregnabimus. (*II. Tim.* 2, 12.) Rara est virtus compassionis, conquerente Domino: Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni. (*Ps.* 68, 21.)

4. Argumentum verae compassionis est, non solum condolere amicis, verum etiam inimicis. Sic Joseph

super singulos fratres suos flevit, qui eum pro triginta denariis vendiderant. Et David planxit planctu magno super mortem Saul, qui eum saepe occidere proposuerat; imo doceri fecit filios Israel carmen planctus super mortem ejusdem. Sic mortuo Absalon, qui eum extirpare voluit de regno, cooperto capite lugebat eum, dicens: Fili mi Absalon, Absalon fili mi! quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Absalon, fili mi, fili mi Absalon. (*II. Reg.* 18, 33.) Et similiter Job: Flebam, inquit, quondam super eo, qui afflictus erat: et compatiebatur anima mea pauperi. (*Job* 30, 25.)

5. Argumentum falsae compassionis est, cum aliquis verba compassionis profert, et vultum compassionis exhibet; et tamen de afflictione proximi gaudet in corde suo; vel afflictionem proximi, cum posset, non alleviat; vel affligentes, quando potest, non compescit; sed potius alios ad affligendum signo, verbo, vel facto provocat et confortat.

CAPUT XIII.

De pace.

1. Pax vera ad Deum est, cum quinque sensus, et membrorum omnium usus, et omnia interiora et exteriora opera ad nutum rationis disponuntur; cumque omnes cogitationes, affectiones, voluntates, intentiones et omnia exteriora secundum ordinationem rationis fiunt, et illa ratio secundum voluntatem Dei penitus ordinatur. Quotiescunque vero sine consensu rationis bene

dispositae quicquam agitur, statim pax pectoris perturbatur.

2. Ille veram pacem cum Deo habet, ut dicit Glossa super illud: (Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum,) (*Rom.* 5, 1.) qui adversus mandata Dei contraria voluntate non litigat: qui sequitur jussa Domini, et ad praeceptum divinum suum flectit arbitrium. Pax enim vera est, concordare cum probis moribus, et litigare cum vitiis.

Ille veram pacem cum proximo habet, qui toto nisu cavet, ne quemquam ex proposito quacunque occasione perturbet. Qui enim ex deliberatione aliquem perturbat, sine perturbatione nullatenus aliqua hora esse potest. Aut enim turbatus, si potest, se vindicat; aut si vindicare non potest, dissimulat. Ex perturbatione tamen facta stimulum et remorsum conscientiae semper secum portat.

Ille veram pacem quaerit, qui continue se ipsum tantum considerat: et unumquemque proprio relinquens judicio, omnibus postpositis curis transitoriis et temporalibus in sola Dei contemplatione quiescit. Ibi enim solummodo pax vera invenitur, teste Augustino dicente: Fecisti nos ad te, Domine; et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

3. Ad amorem verae pacis inducere nos debet duplex utilitas: scilicet suavitas et quies mentis, quae pacem sequitur; quia suavitas est quasi pars et initium quietis et suavitatis aeternae; vel, quia aeternam et continuam habitationem Deo praeparat in anima, qui propter nimiam mansuetudinem suam tantum in corde quieto locum habet et requiescit, ipso teste: In pace

in idipsum dormiam et requiescam. (*Ps*. 4, 9.) Et iterum Psalmista: Factus est in pace locus eius. (*Ps*. 75, 3.) Quod etiam testatur Apostolus, dicens: Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. (*II. Cor*. 13, 11.)

Veram pacem conservat, quod dicit D. Hieronymus super epistolam ad Ephesios: Si bona nostra invicem diligamus: si peccata, quae sine tritici damno, aut cum spe salutis corrigendorum eradicari non possunt, usque ad messem ultimam toleramus: si etiam perfectionis opera, quae fieri et non fieri licet, ne infirmi scandalizentur, non facere disponamus.

4. Argumentum verae pacis habet, qui omnem locum, et omnes homines, et omnes actiones vitat, ex quibus probabiliter turbatio sequi potest.

Item argumentum certissimum verae pacis habet, qui praecepta Dei, et vota semper et ubique tenet, teste Psalmista: Pax multa diligentibus legem tuam. (*Ps*. 118, 165.) Argumentum verissimae pacis est, quando ratio in omnibus spiritui subjugatur.

5. Argumentum falsae pacis habet, qui non evellit omnes radices turbationis, quae semper pullulare solent. Hae sunt: propria voluntas, animi libertas, morum singularitas, appetitus placentiae: de quibus alibi scriptum est.

Item non est pax vera, quae ex propria virtute non habetur, sed ex gratia aliorum, verbi gratia: Sunt quidam, qui firmam pacem habent, interim quod nihil contrarietatis sentiunt; sed quidquid placet, hoc in omnibus inveniunt. Cum vero aliquid fit, quod ipsi non excogitant, vel, quod eis minus placet, evenit, statim pacem cordis amittunt. Tunc non est virtus

pacis in eis, sed potius in extraneis. Ideoque illam pacem auferunt extranei, quando volunt. Sed qui veram pacem desiderant, non debent advertere, quid alii faciant, vel loquantur, sive adulentur, sive detrahant: sed semper, quae pacis sunt, cogitent. Et sic virtus pacis in ipsis veraciter et finaliter permanebit.

CAPUT XIV.

De misericordia.

1. Misericordia vera consistit in tribus: in dando, in condonando, et in supererogando.

2. Vere misericors, quamdiu aliquid habet, indigentibus necessaria subministrat. Quod si non faceret, veram misericordiam non compleret, teste Chrysostomo. At, inquit, semel dedisti, non est haec eleemosyna. Nisi enim quousque habes, indigenti subveneris, nunquam debitum impleveris. Nam et virgines (scilicet fatuae) habentes lampades habebant oleum, sed non ad sufficientiam. Hanc misericordiam habuit Job, cum dixit: Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduae exspectare feci; si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea; quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum. Et paullo post: Foris non mansit peregrinus: ostium meum viatoribus patuit. (*Job*. 31, 16. 17. 18. 32.)

Sed qui substantiam dat, et injurias non condonat, nullam misericordiam facit, ut dicit D. Gregorius. Ideo

vere misericors sponte, antequam rogatur, omnem injuriam ex corde remittit: nunquam vindicaturus, nec per se, nec per alium. Imo vere misericors paratior est ad remittendum, quam sit injurians ad petendum. Nam vere misericors plus dolet de peccato injuriantis, quam de afflictione propria, quam ab injuriante suffert. Sic Semei maledicenti, et lapides contra se mittenti, David ex corde dimisit, etiam non petenti. Et, ne per inimicos suos occideretur, prohibuit, dicens: Dimittite eum, ut maledicat, juxta praeceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam; et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac, die hodierna. (*II. Reg.* 16, 11. 12.) Sic etiam Joseph pepercit fratribus suis, antequam peterent, flendo super singulos. (*Gen.* 45, 15.)

Nec hoc sufficit vere misericordi, nisi etiam injuriantibus suis precibus a Deo veniam obtineat. Sic Moyses Judaeis ipsum lapidare volentibus gratiam impetravit, dicens: Aut dimitte eis hanc noxam; aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. (*Exod.* 32, 31. 32.) Sic Stephanus lapidantibus, sic Dominus Jesus crucifixoribus suis veniam et gratiam obtinuit, cum uterque dixerit: Dimitte illis: quia nesciunt, quid faciunt: ubi valde injuriantes excusantur, quasi dicerent: Non habent sensum, non enim sciunt, quid faciunt: ideoque ipsis merito non est imputandum, sed clementer parcendum.

3. Ad amorem verae misericordiae inducere nos debet, quod Deus in sua natura summe est misericors, et in aliis misericordiam diligit supra modum, sicut ipse dixit: Euntes autem discite, quid est: misericordiam volo, et non sacrificium. (*Matth.* 9, 13.)

Aliud inductivum misericordiae est, quod misericors Deus immisericordes homines in judicio suo sine misericordia judicabit, teste Jacobo: Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. (*Jac.* 2, 13.) Et misericordes a Deo misericordiam copiose consequentur. Foeneratur enim Domino, qui miseretur pauperis; (*Prov.* 19, 17.) id est, cum magna usura et lucro recipiet, quidquid pauperibus elargitur.

4. Officium misericordiae est, collocare singulos pro meritis suis apud Deum, iuxta illud Ecclesiastici: Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. (*Eccli.* 16, 15.)

5. Argumentum verae misericordiae est, cum quis sibi subtrahit, quod salva vita sibi subtrahere potest, insuper et continue laborat, etiam supra vires, ut possit indigentibus amplius subvenire.

6. Argumentum falsae misericordiae est, cum quis necessitatem cuiuslibet pro posse non sublevat, sed dicit indigentibus illud Jacobi: Ite in pace, calefacimini et saturamini: non dederitis autem eis, quae necessaria sunt corpori, quid proderit? (*Jac.* 2, 16.) Unde D. Chrysostomus: Opus est etiam de tuo non tam parcum esse; sed cum Domini tibi creditae sint facultates, cur tam tenax es?

Item, cum injuriantibus remittit, cum se vindicare non potest: vel cum injuriantibus remittit non ex puro amore; sed ob hoc, quod scit, Deum sibi non remittere, nisi primo remittat ipse: aut cum voce tenus orat pro injuriantibus, tamen de eorum confusione interius gaudet.

CAPUT XV.

De concordia.

1. Vera concordia ad Deum est, uniri voluntati divinae in prosperis et adversis, et pro posse divinis moribus et exemplis Jesu Christi conformari. Dicit enim D. Joannes episcopus, id est, Chrysostomus: Nihil est dignius, quam ut homo sit auctoris sui imitator: et secundum modum propriae facultatis divini operis sit executor. Hanc unionem petit nobis Dominus in penultimo vitae suae instanti, dicens: Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. (*Joh.* 17, 21.)

Item vera concordia ad proximos est, cum omnibus, in omnibus idem sapere, idem sentire in iis, quae sunt ad Deum: sicut in primitiva ecclesia multitudinis credentium erat cor unum, et anima una; (*Act.* 4, 32.) nempe quoad omnia, quae spectant ad Deum.

Item aliis conformari in cibo, potu, somno, in moribus et operibus, quae non sunt contra Deum, nec contra professionem suam, nec contra perfectionem, ut plures lucrifaciamus; sicut Apostolus de se dicit: Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem; omnia omnibus factus sum, ut omnes facerem salvos. (*I. Cor.* 9, 22.)

2. Ad amorem verae concordiae nos inducere debet, quod valde laudabilis est Deo, et valde placita concordia fratrum, sicut ipse dixit per Salomonem: In tribus placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo et hominibus: concordia fratrum, et amor

proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. (*Eccli.* 25, 1. 2.) Nam miseri et fragiles homines hoc servant in terris, quod angeli noluerunt servare in coelis.

Ad idem nos invitare debet Jesu Christi diligentia ad faciendum concordiam inter homines et Deum: et inter apostolos, cum esset inter eos contentio, quis eorum videretur esse major: et cum indignarentur apostoli, scilicet de Jacobo et Joanne fratribus, eoquod ipsi volebant sedere ad dexteram et sinistram ejus. In his omnibus Christus eos concordavit.

3. Argumentum verae concordiae ad Deum est testimonium conscientiae, non esse peccatis gravibus involutum hominem: sicut Apostolus habuit, dicens: Nihil mihi conscius sum. (*I. Cor.* 4, 4.) Et Job: Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. (*Job* 27, 6.) Item fervens desiderium proficiendi in omni vita, in omnibus bonis secundum Dei ordinationem.

Argumentum verae concordiae ad proximum habet, qui ad omnes tam sancte se habet, ut nullus de ipso querelam moveat; nec etiam verbum malum de ipso loqui valeat. Utrumque argumentum habuerunt parentes Joannis Baptistae: Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini, quantum ad primum: sine querela, quantum ad secundum. (*Luc.* 1, 6.) Similiter argumentum de utroque habuit Judith, de qua scriptum est: Erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde; nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. (*Judith* 8, 8.)

4. Argumentum falsae concordiae inter Deum et homines est, quando aliquis non solicite investigat con-

scientiam suam; et sic per erroneam conscientiam suam credit se placere Deo, cum in omnibus vere displiceat.

Aliud argumentum discordiae inter Deum et hominem est, cum homini displicet divina ordinatio circa creaturas, et divini mores et exempla ac sanctissima opera Jesu Christi. Unde scriptum est: Displicet Deo, cum displicet Deus.

Argumentum falsae concordiae ad proximum habet, cui bona opera et sancti mores aliorum in corde displicent, quae tamen verbis quandoque commendat.

Argumentum autem discordiae habet, qui sensum suum aliis praeponit, et sensum aliorum semper post se trahere nititur, seu disponit, et nunquam aliorum sensui sensum suum coadunare proponit.

CAPUT XVI.

De constantia.

1. Constantia vera et perfecta est, cum homo nec in prosperis, nec in adversis a perfectione retrahi potest; sicut Job, dicens: Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: justificationem meam, quam coepi tenere, non deseram. (*Job* 27, 5. 6.) Nec minis, nec blanditiis induci potest ad transgressionem votorum et divinorum praeceptorum. Sicut septem fratres in libro Macchabaeorum, qui praecisis linguis, et abstracta cute capitis, et caesis summitatibus manuum et pedum, in ollis aeneis vivi torquebantur. Et Eleazarus sub simulatione noluit illicitas carnes comedere, sed dixit, se potius velle praemitti ad infernum.

2. Ille veram constantiam habet, qui nunquam in laude divina cessat, juxta illud: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo etc. (*Ps.* 33, 2.) Nec cessat a ferventi desiderio proficiendi. Nam, teste Leone Papa: Nemo nostrum tam perfectus est et sanctus, ut perfectior et sanctior esse non possit. Idem: Ibi incidunt deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerunt appetitum.

3. Ad veram constantiam inducere nos debet constantia Martyrum, et praecipue Virginum, quae in sexu fragili aeternam gloriam per constantiam meruerunt.

Sed amplius movere nos debet ad constantiam pertinacia Judaeorum, haereticorum, et perversorum hominum in malitiis suis temeritas, qui pro perfidia et pertinacia iniquitatum suarum grave tormentum habent in conscientia sua in praesenti, et gravissimam poenam animae et corporis exspectantes in futuro.

4. Argumentum verae constantiae est, cum aliquis, nec pro amissione corporis, neque rerum, cessat ab omnibus, quae Deo placent. Sicut Tobias a sepultura mortuorum non cessavit; pro quo rex Sennacherib omnia ei bona abstulit, et insuper occidi praecepit. Sic Daniel ab oratione non cessavit. Sic Apostoli post resurrectionem Christi nec propter flagellationem, nec propter timorem mortis a manifestatione nominis Christi cessaverunt, dicentes adversariis Petrus et Joannes: An Deo magis obedire oportet, vos ipsi judicate. Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate. (*Act.* 4, 19.) Item Petrus et Apostoli dixerunt ad illos: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. (*Act.* 5, 29.)

5. Argumentum inconstantiae est, cum aliquis

propter favorem hominum, vel lucrum aliquod obtinendum recedit a via justitiae: sicut Balaam, qui propter munera et amicitiam Balac contra praeceptum Domini voluit maledicere populo Israël: vel propter timorem rerum temporalium, sicut ille dives recessit tristis a Domino Jesu, cum suaderet ei perfectionem. Erat enim multas habens possessiones et divitias, quas dilexit: vel propter timorem corporis, sicut Apostoli a Domino suo dilecto Jesu Christo omnes fugerunt. Mathathias vero contemnens honorem exhibitum a nuntiis regis Antiochi, et munera promissa, relictis omnibus fugit in montes, ut legem Domini conservaret. Item nec appetitus amicitiae, nec timor rerum temporalium retraxit eum a via justitiae. Similiter nec timor corporis retraxit B. Stephanum a via justa, sed intendens in coelum inter pressuras lapidum fixus permansit in Christo. Similiter et Paulus, qui dixit: Ego autem non solum alligari, sed et mori in Jerusasalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. (*Act.* 21, 13.)

CAPUT XVII.

De largitate.

1. Largitas vera et perfecta est, cum aliquis omnibus indigentibus res temporales pro posse suo hilariter administrat; imo etiam omnibus indigentibus bona spiritualia requisitus libenter communicat, videlicet in confessionibus, praedicationibus, consiliis et doctrinis: nec solum desiderantibus hujusmodi paratus est; imo

etiam non desiderantibus et non curantibus doctrinam et praedicationem secundum consilium Apostoli opportune et importune participat: imo etiam invitis et ignorantibus orationes, gemitus ac fletus coram Deo communicat. Nec in hoc sufficit vere largo, nisi etiam se totum evisceret in studio, in meditationibus, et in sanctis operibus continue pro salute proximorum.

2. Ad hanc largitatem inducere nos debet appetitus conformitatis Dei, qui tam continue dat sua dona temporalia et spiritualia omnibus, etiam non petentibus, et super omnia haec carnem et sanguinem dilectissimi Filii sui Jesu Christi. Nec sufficit ei dona sua dare simpliciter, nisi etiam seipsum sine mensura det in singulis donis.

Commendat largitatem suam, quod nulli neget sua dona, quantumcunque sibi adversetur. Imo pluries in die et in nocte dona sua cuilibet elargitur, quantumcunque a quoquam offendatur.

Approbat in hoc largitatem suam, quod, quandocunque invenit opportunitatem aliquam in recipiente, statim ab effluxione spiritualium donorum nequaquam se potest continere; licet ex sapientia divina praenoscat, quod recipiens illa dona in proximo debeat amittere, vel ea continuo deturbare, vel ipsum per eadem impugnare.

Ad idem inducere nos debet, quod aliena sunt, quae damus. Et proverbium est, quod latae corrigiae scindantur ex pellibus alienis. Unde D. Chrysostomus: Opus est enim etiam, de tuo non tam parcum esse; sed cum Domini tibi creditae sint facultates, cur tam tenax es?

3. Argumentum verae largitatis est, cum aliquis

dat sua indigentibus hilariter, sine meritis alicuius, gratis, et sine spe recompensationis. Sic dedit Dominus Jesus et se et sua omnia. Et hoc maximae perfectionis est. Nec sufficit vere largo, sua dare, imo etiam pro salute proximorum tempore necessitatis usque ad mortem exhibet semetipsum, sicut docet B. Joannes, dicens: In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. *(I. Joh.* 3, 16.)

Ad hoc tamen magis obligantur Praelati. Hanc largitatem habuit Apostolus, dicens: Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris. *(II. Cor.* 12, 15.) Idem quoque ait alibi: Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres, *(I. Cor.* 15, 31.) id est, pericula mortis subeo. Vere largus sine spe recompensationis dat Domino totum, quod est, quod habet, et quod potest, ad aeternam divinae laudis augmentationem, singulis angelis et Sanctis ad perpetuam exultationem; singulis peccatoribus ad conversionem; singulis justis et perfectis ad perfectionis conservationem et confirmationem; singulis purgandis ad poenarum mitigationem et abbreviationem.

4. Argumentum falsae largitatis est, cum aliquis dat sua. ut laudetur ab aliis, ne aliis dantibus vilior reputetur, vel ut a clamore pauperum liberetur; et tunc rem et meritum perdit.

Item false largus est, qui dat sua propter coactionem, vel aliquem favorem; vel propter spem gratiae in praesenti, et gloriae in futuro; vel propter timorem judicis, qui dare praecipit, cujus praecepti transgressionem non transiret impune.

CAPUT XVIII.

De veritate.

1. Veritas justa est, quando vere concordant mens, lingua et opera; ut, quod sentit quis in corde, hoc proferat ore, et perficiat opere, exemplo Apostoli invitantis: Imitatores mei estote, fratres, et observate eos (id est, imitamini eos), qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. (*Philip.* 3, 17.) Glossa: Id est, sicut ego credo, doceo et vivo.

2. Ille verax est, qui Deo, et omnibus hominibus immutabiliter omnia vota servat, et omnia verba sua semel dicta opere complet; nisi ea quandoque salubri consilio mutet: juxta illud Isidori: In malis promissis rescinde fidem, et in turpi voto muta decretum. Sic Dominus quandoque sententiam propriam permutavit, ut patet in Ezechia et Ninivitis. Nam Ezechiam moriturum per Esaiam praedixit; et tamen quindecim annos ei post fletum adjecit. Et Ninivem infra quadraginta dies subvertendam per Jonam praedicavit, quam propter humiliationem regis et populi stare permisit.

3. Ad veritatem amoris inducere nos debet, quod Christus est veritas; et quia veritas semper in se amabilis est. Et licet aliquibus quandoque gravis sit veritas et intolerabilis, non est hoc ex parte veritatis; sed ex parte pravae voluntatis eorum, quam libenter implerent, si veritatem contrariam non haberent. Castis et humilibus amabilis est veritas, quae commendat castitatem et humilitatem, et detestatur impudicitiam et superbiam; quia nimis contraria est impudicis et superbis, qui se in oppositis firmaverunt.

Item, quia veritas omnia vincit, sicut probatum est in Esdra. (*III. Esdr.* 3, 12.) Et quia veritas immutabilis est, sicut Dominus Jesus dicit: facilius coelum et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere. (*Luc.* 16, 17.) Et apud Matthaeum: Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra, jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant. (*Matth.* 5, 18.)

4. Argumentum veritatis est, cum quis nec pro favore alicujus, nec pro utilitate propria, nec pro amissione rerum vel corporis veritatem relinquit: nec dissimulat, nec palliat in aliis: nec unquam ex proposito aliquod falsum dicit, nec dicere proponit; nec verba sua semel dicta, nisi propter causam necessariam, permutat, exemplo Balaam dicentis: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini mei, ut vel plus, vel minus loquar. (*Num.* 22, 18.) Et similiter exemplo Jeremiae, Michaeae, Danielis, et aliorum prophetarum, qui nulla causa vinci poterant, ut a veritate verbis vel factis aliquatenus deviarent.

5. Argumentum falsitatis est, unum habere in ore, et aliud in corde; et verba sua ex facili, sine causa utili et necessaria permutare. Non solum ille proditor est veritatis, (ut dicit D. Chrysostomus) qui transgrediens veritatem palam mendacium pro veritate loquitur; sed etiam ille, qui non libere pronunciat veritatem, quam libere pronuntiare oportet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere oportet, proditor est veritatis. Nam sicut sacerdos debitor est, ut veritatem, quam audivit a Deo, libere praedicet; sic laicus debitor est, ut veritatem, quam audi-

vit quidem a sacerdotibus probatam in scripturis, defendat fideliter. Quod si non fecerit, proditor est veritatis.

CAPUT XIX.

De mansuetudine.

1. Mansuetudo vera, sive benignitas est, cum propter illatas injurias mens nequaquam exacerbatur, nec amaritudo cordis exterius indicatur; sed est quasi homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones, (*Ps.* 37, 15.) exemplo Jesu Christi, de quo Isaias: (53, 7.) Et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur; et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.

Unde dicit Glossa super Matthaeum: Mitis est, quem asperitas mentis, seu amaritudo non afficit, sed simplicitas fidei ad omnem injustitiam patiendam instruit. Mitis est, quem nec rancor, nec ira afficit, sed omnia aequanimiter sustinet. Hujus virtutis magnae quasi magistrum se fecit Dominus: quod non fecisset, nisi una summae perfectionis haec virtus esset. Discite, inquit, a me, quia mitis sum, et humilis corde. (*Matth.* 11, 29.) Mansuetus non irritatur, non nocet, nec nocere cogitat. Mitis est, qui malis moribus dominatur. Haec omnia dicit Glossa ibidem.

2. Ad amorem mansuetudinis inducere nos debet beatitudo promissa ex persona Christi dicentis: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. (*Matth.* 5, 4.) D. Augustinus: Illam credo terram, de qua in Psalmo

dicitur: Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. (*Ps.* 141, 6.) Et paulo post: Beati autem mites, quoniam ipsi possidebunt terram, de qua pelli non possunt. De hac terra Psalm. (36, 11.): Mansueti autem haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. Item et Petrus: Mansuetis dabit gloriam: nempe Deus. Proinde: audiant mansueti et laetentur. (*Ps.* 33, 3.)

3. Argumentum verae mansuetudinis est, cum mens in afflictione non murmurat, nec mordentes verbis remordet: sic nec in facie aliquam amaritudinem demonstrat, sed quietum animum ad inhabitandum Deum semper reservat.

4. Argumentum falsae mansuetudinis est, cum homo verba mollia et mansueta profert, faciem mansuetam exhibet; et tamen gravem amaritudinem in animo portat.

CAPUT XX.

De fide.

1. Fides vera est: credere Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum esse verum Deum: et quod in his tribus personis est una indivisibilis Deitas, aequalis gloria, coaeterna majestas. Quilibet eorum est increatus, immensus, aeternus, summe bonus, sapiens, omnipotens Deus et Dominus. Nec tres sunt increati, immensi, aeterni, boni, sapientes, omnipotentes, aut tres Dii, aut tres Domini; sed unus est increatus, immensus, aeternus, bonus, sapiens, omni-

potens, unus Deus et Dominus. Et in his tribus personis nullus est prior aut posterior, quia coaeterni sunt. Nec aliquis minor est aut major, quia sunt per omnia, et in omnibus aequales. Differunt tamen in proprietatibus. Quia Pater est ingenitus, a nullo habens originem. Filius vero a Patre est genitus, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Spiritus sanctus nec creatus est, nec genitus, sed aequaliter ab utroque procedens.

Item vera fides jubet credere, quod Dominus noster Jesus Christus est verus Deus, et verus homo: aeternaliter de Patre natus, secundum Deitatem; temporaliter autem de matre natus, secundum humanitatem; et per omnia aequalis Patri secundum divinitatem. Qui assumsit animam de nihilo, et carnem de purissimo sanguine B. V. Mariae. Impassibilis et immortalis, secundum divinitatem; passibilis et mortalis secundum humanitatem. Item, veram fidem habens credit omnes articulos fidei firmiter et indubitanter, septem pertinentes ad divinitatem, septem vero ad humanitatem Jesu Christi.

2. Ad fidem veram inducere nos debet fides antiquorum fidelium, scilicet Abraham, Isaac et Jacob, Moysis et similium; item infidelium et gentilium, scilicet Job, Rahab meretricis, et similium. Per hanc placuerunt omnes antiqui Deo. Et sine fide impossibile est placere Deo, sicut dicit Apostolus. (*Hebr.* 11, 6.)

Ad idem inducere nos debet duplex utilitas fidei. Nam vera fides omnia potest, omnia impetrat, teste Domino nostro Jesu Christo, qui ait: Omnia possibilia sunt credenti. (*Marc.* 9, 22.) Et: Omnia, quaecunque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient

vobis. (*Marc.* 11, 24.) Et: Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti: Tollere, et mittere in mare, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. (*Marc.* 11, 23.) Sicut montes caspii, petente Alexandro, adunati sunt.

3. Argumentum verae fidei est frequens exercitatio in bonis operibus. Nam sicut corpus mortuum est sine spiritu: ita fides sine operibus mortua est, ut dicit Jacobus. (2, 26.)

4. Argumentum falsae fidei est, non credere scripturae per omnia; sed putare, quod omnia fiant ex fato, vel cursu naturae, et non ex Dei providentia. Item dicit Chrysostomus: Ille Deum esse non credit, qui ea (Deo praesente) facit occulte, quae publice (praesentibus hominibus) facere pertimescit. Item Hieronymus: Non est vere christianus, qui non audet in eo statu mori, in quo audet vivere. Heu, multae fuerunt olim haereses, de quibus scribit Hieronymus: Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos semper indigere auxilio Dei: et tam illos errare, qui cum Manichaeo dicunt, hominem peccatum vitare non posse; quam illos, qui cum Joviniano asserunt, hominem peccare non posse; quia uterque tollit animi libertatem. Nos autem dicimus, hominem et semper posse peccare, et posse non peccare.

CAPUT XXI.

De spe.

1. Spes vera et perfecta exspectatio certa futurae beatitudinis, proveniens ex gratia Dei, et meritis praecedentibus. Haec duo necessaria sunt ad veram spem. Gratia enim Dei non nisi per merita conservatur: meritis autem sine gratia nemo salvatur. Spes ergo sine meritis non est spes, sed praesumtio.

2. Ille veram spem habet, qui licet frequenter in bonis operibus se exerceat, nunquam tamen in suis meritis, sed solum in superabundanti bonitate et largitate Dei confidit: nesciens, utrum bona sua Deo placeant, cum omnes justitiae nostrae sint sicut pannus menstruatae. (*Isai.* 64, 6.)

Ille veram spem habet, qui Deo sacrificium justum offert, juxta illud: Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino. ((*Ps.* 4, 6.) Sacrificium justum est Dominus noster Jesus Christus, unigenitus Dei filius, qui se pro peccatis totius mundi obtulit Deo Patri in ara crucis, ampliorem emendam offerens, quam totus mundus debebat. Suffecisset enim, ut dicit D. Ambrosius, una gutta tam pretiosi sanguinis ad redimendum totum genus humanum. Sed abundanter effudit, ut abundantiam suae dilectionis ostenderet. In hoc sacrificio est tota spes et salus nostra, juxta illud D. Bernardi: Peccavi peccatum grande: turbatur conscientia, sed non perturbatur: quoniam vulnerum Domini recordor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur?

Si ergo in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nulla jam possum morbi malignitate terreri. Et ideo liquet errasse illum, qui ait: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. *(Gen. 4, 13.)* Et paulo post: Ego vero fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordia effluunt; nec desunt foramina, per quae effluant. Foderunt manus ejus et pedes, latusque lancea foraverunt, ut per rimas liceret mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, id est: gustare et videre, quoniam suavis est Dominus. Et paulo post: At clavis reserans clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clavus, clamat vulnus, quod Deus sit in Christo, mundum reconcilians sibi. Iterum paulo post: Patet arcanum cordis per foramina corporis. Patet magnum illud pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu, Domine, suavis et mitis, et multae misericordiae? Majorem enim miserationem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro addictis morti et damnatis. Meum proinde meritum miseratio Domini. Hactenus D. Bernardus: Misericordia Domini in multis patuit: jejunavit enim, vigilavit, oravit, sudavit, lassatus, lacrimatus, flagellatus, passus, crucifixus fuit, ut in ipso supplementum omnium defectuum habeamus.

3. Ad veram spem beatitudinis inducere nos debet excellentissimus amor Jesu Christi, quo cum cogente cum tanta amaritudine salutem nostram nobis prome-

ruit. Et ne obtenta nobis salus deperiret, diligentiam tantam adhibuit, ut conferret nobis angelos ad protectionem, scripturam ad eruditionem, exempla sua et Sanctorum suorum ad viae demonstrationem, corpus suum et sanguinem ad confortationem.

4. Argumentum verae spei habet, qui viriliter resistit malis, et confortatur in bonis; qui virilis est in aggressu arduorum, et fortis in perseverantia ipsorum, juxta illud: Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino. (*Ps*, 30, 25.)

5. Argumentum falsae spei habet, qui praecepta divina et vota transgreditur, non curans vitam suam corrigere secundum scripturam, praesumens nimis sine meritis de bonitate Dei. Talis spes vana est, sicut dicitur in libro Sapientiae: Spes impii tanquam lanugo est, quae a vento tollitur; et tanquam spuma gracilis, quae a procellis dispergitur; et tanquam fumus, qui a vento diffusus est; et tanquam memoria hospitis unius diei praetereuntis. (*Sap*. 5, 15.)

CAPUT XXII.

De timore.

1. Timor justus est, fide et moribus divinorum diligens custodia praeceptorum. Item justus timor est, anxietas cordis retrahens hominem ab illicito usu membrorum, sensuumque exteriorum, et affectionum interiorum: ne anima vel a Deo penitus separetur, vel a familiaritate ipsius aliquantum elon-

getur, cavens etiam, ne mens vel in cibo, vel in potu, vel in somno, vel in aliqua creatura minima delectationem quaerat, et sic a fervore tepescat. Hanc anxietatem habet sponsa ad sponsum charissimum, ne in aliquo motu, incessu, verbo vel facto ipsum offendat, quo ingratitudinem ejus incurrat. Item, ne minus grata sit per culpam aliquam, etiam minimam. Justus timor cogit non solum a peccatis gravibus, imo etiam a venialibus abstinere. Nam ex consuetudine venialium securitas mentis et familiaritas Dei amittitur, et gratia multiformis negligitur.

2. Ad justum timorem nos inducere debet multiplex ejus utilitas. Est enim initium sapientiae, teste Psalmista: Initium sapientiae timor Domini. (*Ps.* 110, 10.) Et initium justitiae, juxta illud: Qui sine timore est, non poterit justificari. (*Eccli.* 1, 28.) Item est signaculum et conclusio omnium virtutum et gratiarum, juxta illud: Timor Dei super omnia se superponit. (*Eccli.* 25, 14.) Ubi non est timor Domini, omnis gratia subito dispergitur, et conscientia pervertitur, juxta illud: Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. (*Eccli.* 27, 4.)

Aliam utilitatem timoris Domini affert D. Bernardus: In veritate didici, nil aeque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo, qui semper est pavidus. (*Prov.* 28, 14.) Time ergo, cum arriserit gratia: time, cum abierit: time, cum denuo revertetur: et hoc est semper pavidum esse. Et paulo post: Cum adest, time, ne non digne opereris ex ea. Et paulo post: Time, cum subtracta fuerit gratia, tanquam mox casurus. Et paucis

interjectis: Jam si gratia repropritiata redierit, multo amplius tunc timendum, ne forte contingat recidivum pati, juxta illud in Evangelio: Ecce sanus factus es; vade, et amplius jam noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat. (*Jo*. 5, 14.)

Ad idem inducere nos debet miserabilis casus angelorum, de quo Job ait: Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. Quanto magis ii, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea. (*Job*. 4, 18. 19.) Item casus sanctorum virorum ab initio mundi: sicut fuit Adam, Samson, Salomon, et omnes Apostoli. Et heu, hodie viri sanctissimi prosternuntur, juxta illud: Cadent a latere tuo mille, (id est: qui sedere deberent ad latus Judicis in judicio) et decem millia a dextris tuis, (id est, qui deberent locari ad dexteram Christi). (*Ps*. 90, 7.) Unde dicit Glossa: Sunt multi, qui putant se judicaturos; et sunt multo plures, qui putant se collocandos a dextris inter salvandos, sed decipiuntur; quia de se praesumunt, non habentes in alto radicem defixam, decidunt a cogitationibus suis.

Ad idem inducere nos debent exempla Sanctorum Deum timentium, sicut Job de se dicit: Quasi tumentes super me fluctus timui Deum. (*Job*. 31, 23.) Et super illud Job: In profundum infernum descendent omnia mea, (*Job*. 17, 16.) dicit Glossa: Pensate, quis nostrum securus sit de requie, cum de illa trepidat ille, quem judex laudat. D. Hieronymus de se ipso loquens ait: Quoties diem judicii cogito, toto corpore contremisco. Quid igitur nos miseri acturi sumus, ubi tanti viri trepidant?

3. Argumentum justi timoris habet, qui tam solicitus est omnium, quae Dei sunt, ut nullo tempore vel loco quidquam eorum negligat, quae sibi possibilia sunt; imo pro posse omnia ferventer operatur. Unde dicitur in Ecclesiaste: Qui timet Deum, nihil negligit (*Eccle.* 7, 19.) Et in Ecclesiastico: Qui timet Deum, faciet bona. (*Eccli.* 15, 1.)

4. Argumentum injusti timoris habet, qui pro amissione vel corporis vel rerum, non propter Deum bona facit, vel malum dimittit; vel malum facit, et bonum dimittit. Hunc timorem prohibit Dominus, dicens: Nolite timere eos, qui occidunt corpus. (*Matth.* 10, 28.) Et Isaias: Quis tu, ut timeas ab homine mortali? (*Isai.* 51, 12.) Talibus dicit Dominus: Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? (*Deut.* 32, 37.)

CAPUT XXIII.

De laetitia.

1. Laetitia vera, sive gaudium est, consolari in his, quae Dei sunt. Materia enim omnis gaudii in Deo est, scilicet: potentia, sapientia, bonitas, largitas, pulchritudo, beatitudo, misericordia, justitia, veritas, nobilitas, sanctitas, mansuetudo, fidelitas, charitas, humilitas, et si quae sunt similia. Et haec omnia immensa et aeterna sunt in Deo.

2. Ille veram laetitiam habet, qui sinceram habet conscientiam in omnibus factis suis, nec unquam

scienter transgreditur divina praecepta et vota; sed semper intendit proficere, et exemplis Jesu Christi, et divinis moribus se conformare. De hac conscientia gaudebat et gloriabatur Apostolus, dicens: Gloria nostra haec est: testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos. (*II. Cor.* 1, 12.)

3. Ad veram laetitiam inducere nos debet, quod super omnia bonus Deus, inter omnes creaturas solam creaturam humanam in tantum sibi univit, ut vere dicatur Deus esse homo, et homo esse Deus. Et quidquid Deus habet per naturam, habet homo per gratiam. Nusquam enim angelos apprehendit; sed semen Abrahae apprehendit, ut dicit Apostolus. (*Hebr.* 2, 16.) Chrysostomus: Nonne magnum est et mirabile, carnem nostram sursum sedere, et ab angelis et archangelis adorari?

Aliud inductivum est, quod Deus nos certificavit de aeterna beatitudine, promissis legis et prophetarum munita et juramento, juxta illud: Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis; (*Luc.* 1, 73.) per privilegia quatuor Evangelistarum: per testimonium Apostolorum: per pignus Spiritus sancti in baptismo, qui est pignus haereditatis nostrae: per arrham, id est: praegustationem in devotione et dulcedine Dei: per obsidem, qui est Christus, unigenitus Dei filius. Ad hoc duplex gaudium hortatur nos Apostolus, dicens: Gaudete in Domino semper; (videlicet propter divinam unionem) iterum dico: gaudete (nem-

pe propter aeternae beatitudinis certitudinem.) (*Philip.* 4, 4.)

4. Argumentum et materiam verae laetitiae habet, qui per internam inspirationem certificatus est de remissione omnium peccatorum, quibus tam graviter Deum omnemque creaturam offendit, omnemque gratiam collatam amisit, et conferendam demeruit. Hanc certitudinem habuit Maria Magdalena, cui dixit Dominus: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; (*Luc.* 7, 47.) et B. Franciscus, de quo dicitur: Quadrans quoque novissimus culparum sibi penitus dimitti revelatur.

Aliud argumentum et materia laetitiae est securitas in mente, quod homo sit filius Dei, et haeres regni coelestis. Hanc securitatem dat Spiritus sanctus, ut dicit Apostolus: Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei. Si autem filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. (*Rom.* 8, 16. 17.) Hanc certitudinem habuit Apostolus, cum dixit: Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque aliqua creatura poterit nos separare a charitate Dei. (*Rom.* 8, 38. 39.)

5. Argumentum falsae laetitiae est, delectari in transitoriis, sive sint res temporales, sive sint amicitiae carnales, sive sit commoditas corporalis, sive laetitia temporalis. Haec laetitia laqueus est tristitae. Cum enim transeunt illa, transit et laetitia, et sequitur tristitia. Et nisi de corde recedat talis tristitia, nunquam intrabit vera laetitia; quia simul esse non possunt, sicut ignis et aqua, quae mutuo se expellunt.

Habetur etiam quandoque naturalis laetitia; quando homo cogitat vel loquitur, vel audit loqui, vel legit

de perfectione Dei: vel etiam habetur de appetitu regni coelestis. Omnes enim naturaliter appetunt beatitudinem. Haec laetitia similiter est vana: et difficulter cognoscitur, quando sit gratuita, et a Deo, et quando naturalis. Felix esset, qui dicere posset cum Isaia: Gaudens gaudebo in Domino (scilicet Creatore,) et exultabit anima mea in Deo meo (scilicet Redemtore); quia induit me vestimento salutis, etc. (*Isai.* 61, 10.)

CAPUT XXIV.

De tristitia.

1. Tristitia vera est dolor cordis pro omnibus injuriis, quas patiens Deus innocenter sustinuit a suis creaturis a principio mundi, et usque in finem sustinebit tam a spiritualibus, quam a saecularibus hominibus. Iste dolor innumerabiles lacrimas sanguineas elicere debet ab oculis singulorum Deum amantium. Alia pars verae tristitiae est, quod frequenter homo in tentationibus sine repugnantia superatur. Quando enim aliquid videt vel audit, tam in volatilibus, quam in reptilibus, quod spectat ad impudicitiam, statim mens impudicis cogitationibus, vel voluptatibus, vel affectionibus sordidatur. Quando vero percipit anima ex quinque sensibus, quod movere potest ad vanam gloriam, invidiam, iram, rancorem, detractionem, avaritiam, levitatem, vel carnalem amicitiam, vel aliquod peccatum, statim sine pugna dejicitur in aliquod praedictorum, dubius, si unquam a tali peccato resurgat. Et

si auxilio Dei resurgit, incertus est, si unquam recuperet gratiam, quam habebat, et tantam, quantam ante habuit. Homo enim per se cadere potest, per se autem nunquam resurgere potest; quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens. (*Ps*. 77, 39.)

Alia pars verae tristitiae est, quod multiplex gratia effluens a fonte divinae pietatis ad nihil redigitur, eoquod non revertitur ad suum principium, unde fluxit, cum multiplici foenore, secundum ordinationem Dei. Hoc omnes creaturae digne deflere non possent.

2. Ad veram tristitiam inducere nos debet sanctissimum vitae Jesu Christi exemplum, cuius anima tristis fuit a principio vitae suae usque ad mortem: qui etiam tristes beatos esse confitetur, dicens: Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; (*Matth*. 5, 5.) quia nonnisi per tristitiam gaudia inveniri valeant, dicit quaedam Glossa super canonicam Jocobi. Ad idem inducere nos debet utilitas ex ea proveniens. Utilior est enim vera tristitia, quam vera laetitia, juxta illud: Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. (*Eqcle*. 7, 3.) Frequenter enim ex tristita quisquam deprimitur; ex laetitia vero elevatur. Et quod miserabilius est, quandoque fit homo spiritualis post laetitiam et devotionem mentis liberior illa die, et incautior in factis suis, quam si nullam laetitiam habuisset. Alia est utilitas tristitiae: Cum oratio et caetera bona opera Deum ungant et mulceant; lacrima, (quae est effectus tristitiae) Deum cogit, sive pungit, secundum Bernardum.

3. Argumentum verae tristitiae habet, cuius mens ex dolore non affligitur, sed elevatur: nec vult a tristitia liberari, sed semper desiderat ampliorem. Tristi-

tia vero, a qua mens affligitur, et a qua quis subito liberari conatur, injusta est. Talis est tristitia, de qua scriptum est: Spiritus tristis exsiccat ossa, (*Prov.* 17, 22.) scilicet virtutum. Et Jacobus: Ira viri (veniens ex tristitia) justitiam Dei non operatur. (*Jac.* 1, 20.) Argumentum verae tristitiae habet, qui a delicatis quibuslibet cohibet sensus suos: non videt, non audit, non gustat, non odoratur aliquid, nec tangit, per quod moestitia mitigari potest. Fugit etiam omnem locum, et omnes homines, ex quorum consortio minui potest dolor cordis. Certus est enim, securissimam viam esse, in vera tristitia vitam finire, juxta illud: Cor sapientium, ubi tristitia; cor stultorum, ubi laetitia. (*Eccle.* 7, 5.)

4. Argumentum falsae tristitiae habet, qui non considerans sapientissimam ordinationem Dei, torquetur pro amissione rerum temporalium; vel pro afflictione, vel morte amicorum; vel pro sui corporis infirmitate; vel pro sua correctione. Tristitia talis nullam gratiam confert, sed mentem dilaniat, juxta illud: Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. (*Prov.* 25, 20.) Et alibi: In moerore animi dejicitur spiritus. (*Prov.* 15, 13.)

CAPUT XXV.

De gratitudine.

1. Gratitudo vera et perfecta est, excellentiam donorum Dei in anima, cum annihilatione sui, et debita cordis reverentia magnificare. Sic magnificavit Da-

vid dona mandatorum Dei, dicens: Dilexi mandata tua super aurum et topazion. (*Ps.* 118, 127.) Et Salomon domum sapientiae extollebat, dicens: Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis; et omne desiderabile ei non potest comparari. (*Prov.* 8, 11.)

2. Ille veram gratitudinem habet, qui omnium donorum Dei se indignum sentit. Et quanto se indigniorem beneficiorum Dei reputat et sentit, in tantum amplius gratitudo mentis excrescit. Chrysostomus: Pro omnibus, quae tribuisti nobis, o Christe, nihil a nobis petis, quam salvari, hoc ipsum tribuens, et accipientibus gratias agis.

3. Ad veram gratitudinem nos inducere debet consideratio dantis, qui est omnipotens, nobilissimus, amantissimus, fidelissimus, optimus, beatissimus et perfectissimus.

Item donorum magnitudo. Non est enim tam parvum donum corporale vel spirituale, quod a Deo fluit: in quo non sit inclusus immensus Deus cum omni divina virtute.

Item pensandus est affectus dantis. Non enim se ex dimidio dat, vel cum indignatione, ut absolvatur a nobis; sed ex omni desiderio divino, ex tota dilectione, et bonitate sua.

Item ponderanda est utilitas donorum. Singula enim dat ad ipsum cognoscendum, fruendum, et ad nos beatificandum.

Item pensandum est, quid cogat eum ad dandum: non timor alicuius mali, vel spes alicuius boni: non aliqua virtus nostra; sed aeterna et immensa bonitas sua.

Item consideranda est indignitas nostra, qui nec

ipsa vita digni sumus, nec meruimus esse vermes inter alias creaturas.

Item ad id nos inducere debet utilitas gratitudinis. Nam ipsa aperit fontem pietatis, et movet Deum ad effluendum; sicut ingratitudo exsiccat fontem divinae pietatis, misericordiae rorem, et fluenta gratiae. Quanto enim major est gratitudo in anima, tanto fit habilior ad gratiam recipiendam, et tanto amplius cogitur largissimus Deus ad largiendum.

4. Argumentum verae gratitudinis habet, qui pensatis singulis supra dictis, quae valent ad gratitudinem, pro singulis donis parvis et magnis ex toto corde gratias agit, cum ea reverenter susceperit, et ex toto nisu gratias ab amantissimo Domino susceptas impollutas servare contendit. Quomodo enim amici donum gratum fuit, quod non gratanter suscepit, et tam subito sponte deturbat et amittit? Nec solum gratitudine indigemus in his, quae sunt ad nostram consolationem; sed etiam in iis, quae sunt ad nostram afflictionem. Ex eadem quippe bonitate et charitate dat Deus utrumque. Hinc est, quod Tobias ait: Benedico te, Domine, Deus Israël, quia tu castigasti me, et tu salvasti me. (*Tob.* 11, 17.) Ad aequalem enim gratiam in praesenti, et gloriam in futuro Deus dat hominibus devotionem, et permittit tribulationem evenire; vel ad majorem utilitatem, sicut permisit Job, qui dixit: Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? (*Job* 2, 10.) quasi dicat: Utrumque gratanter suscipere debemus.

5. Argumentum ingratitudinis habet, quando aliquis obstruit cor suum aliqua mala voluntate, vel rancore, vel levitate, vel delectatione temporali, vel

amicitia carnali, prae quibus non potest dona spiritualia percipere: aut cum gratias perceptas conservare non curat: aut collatas multiplicare, aut eis frui secundum ordinationem Dei pro utilitate communi non laborat: aut quando cum muneribus a Deo perceptis, in corpore et in anima, et in viribus animae, ipsum Deum impugnare non cessat, sicut, heu, frequenter contingit. Tunc enim omnia meretur amittere, cum eis utitur contra largitorem.

CAPUT XXVI.

De zelo animarum.

1. Zelus animarum verus et perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus et ferventibus desideriis, lacrimis, orationibus vigiliis, jejuniis, praedicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis bonis operibus pro saluteanimarum laborat. Quanta autem haec gratia sit, sic Beda describit: Quaenam gratia sublimior, et Deo gratior conversatio esse potest, quam eorum, qui quotidiano exercitio alios ad auctoris sui gratiam student convertere, et crebra animarum fidelium acquisitione gaudium coelestis patriae semper augere? Item D. Gregorius dicit: Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Et hoc propter imaginem Trinitatis animabus impressam.

2. Ad zelum animarum inducere nos debet exemplum Jesu Christi, qui in omni vita sua tanto fervore conversionem peccatorum, et perfectionem bonorum

sitivit, ut pro recuperatione animarum venditarum singula membra sua ad singularem poenam, et tandem animam suam ad turpissimam mortem offerret. Teste D. Bernardo tantum reconciliationis humanae studium sibi fuit, ut ad sua stipendia non attenderet, dum erroneum lucraretur. O quanta dignitas animarum, et quantus zelus Dei ad animas, pro quarum redemtione pretiosum sanguinem suum totum obtulit Dei Filius Deo Patri; cum tamen suffecisset una gutta tam pretiosi sanguinis ad redimendum totum genus humanum, sicut dicit D. Ambrosius; et maxime, cum sibi nihil beatitudinis accresceret, vel decresceret. Hanc nobilitatem animarum noverat sapientia Dei, quae nobis incognita est. Quod conqueritur D. Bernardus, dicens: Heu, quod tam parum attendimus animae nobilitatem, qua praesente corpus vivit: cuius absentia probat, quid ejus praesentia contulit: quam Deus tanti aestimavit, ut Unigenitum suum pro ea daret: quam diabolus tanti reputavit, ut pro ea totum mundum offerret.

3. Argumentum veri fervoris habet, qui nec vitam propriam, nec corpus curat, ut plures animas Christo lucrifaciat. Hunc zelum David habuit, cum dixit: Quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalon? (*II. Reg.* 18, 33.) Et Apostolus, cum dicit: Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris. (*II. Cor.* 12, 15.) Et iterum: Quotidie morior propter gloriam vestram, fratres (*I. Cor.* 15, 31.) id est: mortis pericula sustineo. Et B. Dominicus, cum se vendere voluit pro quodam captivo, quem Saraceni detinebant: et iterum pro alio, qui mansit apud haereticos propter victum:

quem tamen sapiens Deus pro salute plurium animarum invenditum conservavit.

4. Argumentum falsi fervoris habet, qui de spiritualibus operibus magis solicitus est pro muneribus, quam pro animabus. Talis pejor est diabolo, qui figuratur in rege Sodomorum, qui dixit ad Abraham: Da mihi animas, caetera tolle tibi: (*Gen.* 14, 21.) et qui amplius laborat pro amicitia hominum, vel favore, quam pro eorum sanctitate et perfectione. Talis non potest dicere cum Apostolo: Non quaero, quae vestra sunt, sed vos. (*II. Cor.* 12, 14.) Notandum autem, quod ubicunque duo movent ad aliquod opus, scilicet Deus, et aliquid aliud, difficulter cognoscitur, quid plus moveat; verbi gratia: Aliquem movet ad audiendas confessiones, vel ad aliquod spirituale salus animarum et spes lucri, vel favor, vel placentia, vel libertas, vel aliqua alia delectatio: hic difficulter discernitur, quid istorum magis afficiat animum laborantis. Attamen evidens argumentum est, quod aliquid praedictorum plus moveat, quam Deus vel animarum salus, cum audit quis libentius divites, nobiles, juvenes, et formosos, quam pauperes, ignobiles, senes et deformes. Et cum saepius et diutius delectatur esse cum istis, quam cum illis, et forte cum minori fructu: cum tamen illi tam sanctas conscientias habeant, quam isti, vel sanctiores; et tantum, vel amplius obediant consiliis, quam isti; et tantum, vel plus studeant perfectioni, quam isti; et tantum, vel plus placeant Deo, quam isti; teste Jacobo: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem, (*Jac.* 2, 5. 6.) scilicet ipsum non curantes. In quibus

tamen Christus maxime honoratur, sicut dicitur in homilia super illud: Omnes honorate. Item satis est evidens argumentum, quando in operibus nostris plus quaerimus partem Dei, quam partem nostram. Nam ad illa opera, quae laborem habent, et aliquam consolationem, ut sunt praedicatio, confessio, praelatura, et similia, licet magnum in eis sit periculum, tamen ad ea quilibet est paratus. Ab eis vero operibus, quae continent tantum laborem; et non consolationem, ut jejunia, vigiliae, disciplinae, et similia, licet nullum in eis sit periculum, quilibet tamen ab eis abstinet, quantum potest.

CAPUT XXVIII.

De libertate.

1. Libertas vera est, non esse ligatum vinculis peccatorum, quae vere ligant, juxta illud: Iniquitates suae capiunt impium; et funibus peccatorum suorum constringitur, (*Prov.* 5, 22.) Et fere faciunt servum, juxta illud: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. (*Joan.* 8, 34.) Peccare enim non libertas, nec pars libertatis, ut dicit Anselmus: sed est pessima species servitutis. Ab hac specie servitutis nemo liberatur, nisi solius Filii Dei auxilio, ipso teste: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. (*Joan.* 8, 36.)

2. Veram libertatem habet, qui non est captus appetitu rerum temporalium, nec laude vel favore hominum, nec propria placentia, vel displicentia aliena,

nec amicitia carnali, vel timore servili, nec delectatione gaudii transitorii.

3. Ad amorem verae libertatis inducere nos debet divinae ordinationis consideratio, quae vult hominem esse liberum. In cuius signum dedit homini liberum arbitrium, in hoc maxime ipsum sibi assimilans, quod a nemine cogi potest, sicut nec Deus ab aliquo cogi potest. Illud liberum arbitrium Deus homini contulit, dicens in Ecclesiastico: Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. (*Eccli.* 15, 14.) Et paulo post: Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum. Quod placuerit ei, dabitur illi. (*Eccli.* 15, 17. 18.)

Ad veram libertatem indubitanter inducitur, qui praeceptorum divinorum, et consiliorum, et votorum suorum inviolabili observantia se ligat: qui mentem suam et sensus suos a voluptatibus refraenat: qui membra sua nullis illicitis occupat: qui obedientiae jugum ex corde amat: qui toto nisu, qualiter Deo suo placeat, elaborat. Quanto amplius quis praedictis innititur, tanto citius veram libertatem consequitur, et in ea fortius radicatur. Qui vero in hoc mundo libere voluntatem suam in omnibus, et in quantum potest, exequitur, variis diaboli laqueis irretitur: et cum liberior esse videtur, tunc in servitute et captivitate diaboli fortius et certius detinetur.

4. Argumentum verae libertatis habet, qui nihil eorum desiderat, quae a familiaritate Dei mentem alienant vel elongant: sicut est praelatio, circa exteriora frequens occupatio, de commodo carnis nimia solicitudo, mentis dissolutio, ad diversa negotia dis-

tractio, alienae vitae et conscientiae temeraria discussio, propriorum defectuum excusatio, sive minoratio, defectuum proximorum manifestatio vel aggravatio.

Aliud argumentum libertatis est securitas mentis de remissione totius culpae et poenae, quae ex fervore cordis provenit, qui quandoque cremat in corde, sicut ignis in fornace, et hominem ante frigidum et pallidum in oratione facit calidum et rufum. Qui fervor omnem maculam et poenam consumit, sicut ignis rubiginem ferri exurit.

5. Argumentum servitutis et captivitatis habet, qui jugum obedientiae detestatur: qui correctionem charitativam et fraternam abominatur; qui vindictam injuriarum suarum quotidie meditatur: qui laude et favore humano afficitur: qui scienter et pertinaciter in aliquo, quod est contra Deum et conscientiam, vel contra voluntatem praelatorum, occupatur: qui in receptione vel collatione munusculorum vel litterarum amicabilium delectatur. Unde sapiens quidam dicit: Munuscula accipere, est libertatem vendere. Et Job: Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt; (*Job* 15, 34.) id est: ignis falsi amoris: et per consequens illum amorem sequitur vinculum servitutis. De dante vero munera dicit Salomon: Victoriam et honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium. (*Prov.* 22, 9.) Singula horum auferunt homini libertatem, et redigunt in miserabilem servitutem. Non enim potest in libertate spiritus Deo vacare, qui in hujusmodi occupatur.

CAPUT XXVIII.

De religione.

1. Religio vera, sive spiritualis vita, sicut dicit B. Jacobus: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo. (*Jac.* 1, 27.) Ille immaculatum se custodit ab hoc saeculo, qui moribus saecularibus omnino renuntiat, et tam carnalia, quam spiritualia peccata, in quantum potest, devitat.

2. Ad veram vitam spiritualem inducere nos debet utilitas, de qua scriptura ait: Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. (*Joan.* 6, 64.) Et illud Apostoli: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. (*Rom.* 8, 8.)

Item, qui vult vere fieri spiritualis, debet fugere et odire carnale commodum: hoc est, detestari carnalia desideria, quae militant adversus animam, ut dicit Petrus, (*I. Petr.* 2, 11.) et appetere asperitatem et carnale incommodum. Hoc enim conservat gratiam, sicut spinae custodiunt herbas in horto. Nam gratia effluit per os, oculos et aures. Et sicut ignis et aqua simul esse non possunt, ita nec carnalis, nec spiritualis voluptas, secundum D. Bernardum.

Item debet cognoscere, quod homo nihil boni potest ex se, sicut dicit Apostolus: Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. (*II. Cor.* 3, 5.) Hoc aufert praesumtionem. Et quod omnia potest per Christum, per amplius et perfectius, quam per seipsum,

teste Apostolo: Omnia possum in eo: qui me confortat. (*Philip.* 4, 13.) Hoc aufert desperationem. Quae duo, scilicet praesumtio, et desperatio, valde sunt spiritualibus nociva, et saepe eos impugnant. Item se habere coram Deo semper, non solum quam vilis est, sed etiam quam vilis esse potest, et potuisset, nisi Deus cavisset: et hoc aufert tumorem. Et quod Deus exiget rationem de omnibus malis commissis, et bonis omissis, et gratiis sibi et universitati neglectis. Hoc infert justum timorem. Item omne bonum accipere tanquam a Deo dante: et hoc excludit falsum amorem, et infert gratitudinem: et omne malum, tanquam a Deo pro nostra utilitate benigne permittente: et hoc infert patientiam. Quanto magis quis in his proficit, tanto magis in spiritualem vitam inducitur, et in ea crescit et confirmatur.

3. Argumentum verae vitae spiritualis habet, cujus spiritus penitus carni dominatur: qui tam cito sentit incommodum spirituale, sicut et corporale: et tantum vitat locum, tempus, et homines, ubi, et per quos laedi potest in spiritu, sicut ubi laedi potest et offendi in corpore: et qui tam cito studet mederi spiritui, sicut et carni: et tanto magis spiritui, quam carni, quanto dignior est spiritus, quam corpus.

Item argumentum verae vitae spiritualis habet, qui tantum delectatur in cibis spiritualibus, sicut in corporalibus: et tam invite negligeret aliqua hora cibum spiritualem, sicut corporalem: et tam ordinate sumit cibum spiritualem, sicut carnalem: et tantum se cogit ad cibos spirituales, cum non appetit, sicut infirmus cogitur ad cibos corporales, cum eos fastidit.

Aliud argumentum vitae spiritualis est, si homo

tam diligens est circa spiritum, sicut circa carnem: si tam paratus est in omnibus obedire spirituali medico pro salute spiritus et animae, sicut corporali medico pro salute corporis: et si tam solicitus est acquirere gratiam, qua indiget in adversitate et prosperitate, qua ad amicos, qua ad inimicos, qua cum laudatur, qua cum vituperatur, qua indiget solus coram Deo, et qua eget inter homines: sicut solicitus est de cibis carnalibus, vel quadragesimalibus, vel de vestibus aestivalibus vel hiemalibus. Si tantum studet acquirere, multiplicare, conservare, utiliter expendere dona spiritualia, sicut saecularis bona temporalia. Et tanto magis diligens est in spiritu, quam in corpore, quanto dignior est spiritus corpore. De his omnibus dicit Apostolus: Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt. Qui vero secundum spiritum sunt, quae spiritus sunt, sentiunt. (*Rom.* 8, 5.)

4. Argumentum carnalis vitae est, secundum regulam carnis vivere. D. Augustinus. Ille secundum carnem vivit, qui secundum seipsum vivit: id est, pergit, quo vult: dormit, quando vult, et quamdiu vult: loquitur, quae vult, et cui vult, et ubi vult: manducat et bibit, quando vult, et quantum vult: ridet et jucundatur turpiter, inter quos vult, et quando vult: postremo quidquid naribus suave est, quaerit: quidquid tactu blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid corpori suo jucundum, exercet et sequitur, qualiter vult, et quando vult: quia omnia licita et illicita carnaliter vult. Delectatur in vestimentis pulcherrimis, et equis et armis, sicut vult, et quando vult. Et sic non secundum Deum, sed carnaliter vivit et delectatur, et omnia desideria carnis perficit, sicut vult, et quando vult.

Aliud argumentum vitae carnalis est libertas linguae, quam sequitur distractio cordis, juxta illud: Si quis autem putat se religiosum esse, non refraenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. (*Jac.* 1, 26.) Ideo scriptum est: Qui custodit os suum, et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. (*Prov.* 21, 23.) Mors et vita in manu linguae. (*Prov.* 18, 21.)

CAPUT XXIX.

De maturitate.

1. Maturitas vera est, cum omnes affectiones et vires animae unanimiter colliguntur in Deum. Ex hoc vero mens constringitur a vanitate, et quinque sensus ab illecebris compescuntur. Sed quando anima a beata illa unione recedit, mox diversis vanitatibus irretitur. Nam omnia, quae sub coelo sunt, vana sunt, dicit Ecclesiastes. (1, 14.)

2. Ad veram maturitatem inducere nos debet exemplum sanctissimum Jesu Christi; de cujus seriositate sic scribit D. Augustinus: Legimus Dominum Jesum Christum doluisse, flevisse, ex itinere fatigatum fuisse, opprobria et injurias sustinuisse, sputa, flagella, crucem suscepisse; nunquam tamen legimus eum risisse, nec in terra prosperatum fuisse. Hinc plane, hinc in se gaudent omnes electi, cum coeperint adversitatibus mundi fatigari, et nullis ejus prosperitatibus fallaciter decipi, scientes, aliam vitam superesse. Item, quia scriptura multum vituperat dissolutionem et risum,

juxta illud: Risum reputavi errorem; et gaudio dixi: quid frustra deciperis? (*Eccle.* 2, 2.) Et alibi: Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. (*Prov.* 14, 13.) Et Psalmista sic loquitur ad Dominum: Odisti observantes vanitates supervacue. (*Ps.* 30, 7.) Et praecipue comminatio Jesu Christi, dicentis: Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. (*Luc.* 6, 25.)

Item, quia multum abstrahit unumquemque a familiaritate Dei, et obstruit mentem a perceptione gratiarum.

3. Argumentum verae maturitatis habet, qui nec verbis otiosis, nec factis, nec signis, nec incessu dissoluto, nec aliqua occasione quemquam ad levitatem provocat, sed semper in se, et in aliis dissolutionem ex corde detestatur. Omnia loca vitat, in quibus dissolvi potest: fugitque omnes homines dissolutos, ut maturitatem conservet; sciens, quod qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. (*Eccli.* 13, 1.) Et qui communicat se dissolutis, dissolutionem non effugiet. Talis fuit B. Job, qui tam maturus fuit, quod etiam dissoluti praesentiam ejus fugerent, sicut ipse dicit: Videbant me juvenes, et abscondebantur. (*Job* 29, 8.) Et tantam habuit consuetudinem maturitatis, quod, si oppositum in eo vidisset, nemo credidisset. Unde ipse dicit: Si quando ridebam ad eos, non credebant: et lux vultus mei non cadebat in terram. (*Job* 29, 24.)

4. Argumentum levitatis habet, qui pronus est ad ridendum, jocosus in verbis, dissolutus in moribus, dissoluta loca frequentans, et frequenter cum dissolutis ambulans et habitans, qui fugit maturos homines, gravisque est ei maturitas ad videndum, credens, ex

maturitate infirmitatem corporis sui evenire. Talis describitur in Ecclesiaste: Laetare, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuae, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum; et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. *(Eccle.* 11, 9.)

CAPUT XXX.

De simplicitate.

1. Simplicitas vera et perfecta est, neminem laedere, sed omnibus proficere: sicut dicit Glossa super parabolas. Haec est prima virtus, de qua commendatur Job: Vir erat in terra Hus, nomine Job, et erat vir ille simplex et rectus; *(Job* 1, 1.) quasi praecellens in ea prae caeteris virtutibus. Hanc praecepit Dominus, cum mitteret Apostolos in universum mundum, ad unitatem catholicae fidei convocare incredulos, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae: *(Matth.* 10, 16.) ubi prudentia simplicitati conjungitur. Nam prudentia sine simplicitate calliditas est; et simplicitas sine prudentia stultitia est. Columba nec rostro, nec ungue laedit: ita vere simplex nec verbo, nec opere nocet.

2. Vere ille simplicitatem diligit, qui non occupatur circa multa, sicut Martha. Nam ibi plicae sunt, ubi plura. Sed tantum unum quaerit, de quo Dominus: Porro unum est necessarium. *(Luc.* 10, 42.) De quo laudatur Maria, quae optimam partem elegit,

quae non auferetur ab ea. Hoc est unum bonum, in quo sunt omnia bona, aeterna et immensa.

3. Ad simplicitatis amorem inducere nos debet utilitas ex ea proveniens. Scriptum est enim: Et cum simplicibus sermocinatio ejus, id est: Domini *(Prov.* 3, 32.) Familiaris est enim Dominus simplicibus, quibus non dedignatur arcana sua revelare. Unde Dominus Apostolis, prohibentibus venire pueros ad praesentiam ejus, respondit: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum coelorum. *(Matth.* 19, 14.) Haec est virtus, sine qua non est salus. Dicit enim Dominus Jesus: Nisi efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. *(Matth.* 18, 3.) Non dicit: efficiamini parvuli, sed sicut parvuli, id est: simplices et innocentes.

Alia est utilitas simplicitatis, de qua dicitur: Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. *(Prov.* 10, 9.) Nam ad regnum coelorum via securissima est via simplicitatis. Nam scriptum in proverbiis: Proteget gradientes simpliciter. *(Prov.* 2, 7.)

4. Argumentum verae simplicitatis habet, qui nullius facta pervertit, sed bonum de omnibus praesumit: qui nullius bonum depravat; nullius bonum diminuit, omnium salutem desiderat, nulli malum optat: et qui bona facit et bene: et qui bona sentit de Domino, et in simplicitate cordis quaerit illum: qui voluntati ejus se subjicit, et mandata ejus custodit.

5. Argumentum duplicitatis habet, qui unum gerit in ore, et aliud in corde, et aliud in opere; sicut Joab, tenens mentum Amasae, dixit: Salve, frater, et interim occulte educens gladium occidit eum. Contra hoc dicit Dominus Jesus: Sit sermo vester: Est, est: Non, non.

(Matth. 5, 37.) Id est: quae habetis in corde, proferte ore, et exhibete opere. Et B. Jacobus: Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. *(Jac.* 1, 8.) Et duplicibus Dominus maledicit, qui scilicet servire volunt simul Deo et diabolo, id est: in peccatis et bonis operibus sese exercere. Contra hos namque dicit Dominus: Non potestis duobus dominis servire, *(Matth.* 6, 24.) scilicet contrariis. Nam virtus et vitium, bonum et malum penitus adversantur. Contra eos vero, qui intendunt Deo placere et mundo, dicit Jacobus: Quicunque voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituitur. *(Jaç.* 4, 4.)

6. Argumentum falsae simplicitatis habet, qui simplicem se exhibet in exteriori conversatione, et tamen dolum gestat in corde. De hoc dicit Jeremias: Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. *(Jerem.* 9, 4.)

CAPUT XXXI.

De taciturnitate.

1. Taciturnitas vera et perfecta est, non solum moderari linguam a verbis illicitis; (ut sunt detractiones, mendacia, perjuria, impudica, levia, iracunda, nociva, maledica, otiosa, et similia) sed etiam ab utilibus et licitis, juxta illud: Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, *(Ps.* 38, 3.) scilicet annuntiandis. Dicit Glossa: Ille non cadit ad illicita, qui se

caute restringit a licitis. Non solum autem per verba inutilia et nociva, sed etiam per verba utilia gratia spiritualis effunditur, cum in loquendo modus non observatur. Rara est haec virtus, moderatio linguae, teste Jacobo: Omnis natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et caeterorum domantur, et domita sunt a natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. (*Jac.* 3, 7. 8.) Glossa: Lingua pravorum, bestiis ferocitate, volucribus levitate, serpentibus virulentia praecellit. Sunt enim bestiales, qui exacuerunt ut gladium linguas suas. Sunt volucres, qui posuerunt in coelo os suum, et quorum os locutum est vanitatem. Sunt serpentes, de quibus dicitur: Venenum aspidum sub labiis eorum. (*Ps.* 13, 3.)

2. Ad amorem taciturnitatis inducere nos debet sanctissimum exemplum Domini nostri Jesu Christi, qui taciturnitatem commendans, de impositione criminum interrogatus, se noluit excusare, nec per responsionem mortem suam voluit differre. Ad idem inducere nos debet exemplum cujusdam Eremitae, de quo legitur, quod tribus annis lapidem in ore gestarit, ut disceret silentium servare. Citius enim addisceret aliquis loqui, quam tacere, juxta illud Sapientis: Qui scit loqui, discat et tacere.

Ad idem inducere nos debet utilitas ex ea proveniens. Nam silentium cor distractum componit, conscientiae serenitatem inducit, et ad recipiendam gratiam divinam habilem mentem facit. Ubi autem non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur, juxta illud: Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo

cohibere spiritum suum. *(Prov.* 25, 28.) Ubi enim non est moderatio linguae, ibi nunquam erit perfectio, juxta illud: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, *(Jac.* 3, 2.) et non alius, dicit Glossa. Ubi est custodia linguae, ibi est beatitudo, secundum illud: Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo. *(Eccli.* 14, 1.) Et: qui custodit os suum, et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. *(Prov.* 21, 23.)

3. Argumentum verae taciturnitatis habet, qui cum libere, et licite, et sine offensa loqui potest, et cujus verba recipientur cum magno desiderio: et tamen nullo modo aut raro inducitur ad loquendum, recogitans illud D. Gregorii: Si sanctus Propheta Ezechiel missus ad loquendum fuerat, et septem diebus sedens moerensque tacebat: pensandum nobis est, quanta culpa sit ei, non tacere, quem nulla necessitas cogit loqui. Et illud verbum evangelicum: Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *(Matth.* 12, 36.)

4. Argumentum falsae taciturnitatis, sive loquacitatis est, proterve et clamorose loqui, ut aliquis inter alios videatur: vel tempore importuno, cum tamen sermo opportunus sit optimus. Contra hoc est illud: Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem et imprudens non servabit tempus. *(Eccli.* 20, 7.) Vel loqui, ubi nemo auscultat, vel audire curat. Contra illud est: Ubi auditus non est, non effundas sermonem. *(Eccli.* 32, 6.) Vel cum quis respondet, antequam audiat, vel interrogetur. Contra hoc est illud: Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum. *(Prov.* 18, 13.)

Vel cum respondet pro altero, non interrogatus. Contra illud est: Adolescens, loquere in tua causa vix, cum necesse fuerit. (*Eccli.* 32, 10.)

5. Argumentum falsae taciturnitatis est, tacere non propter virtutem; sed ne ab audientibus confundatur: vel ut propter taciturnitatem laudetur: vel cum nesciens loqui intelligibiliter, vel utiliter, fari verecundatur: vel ut per silentium sua stultitia pallietur, juxta illud: Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. (*Prov.* 17, 28.)

CAPUT XXXII.

De solitudine.

1. Solitudo vera est, abstrahere mentem a sollicitudine et occupatione actionum exteriorum, ab omni delectatione creaturarum: omnes affectiones, voluntates et intentiones unanimiter, in quantum potest, dirigere in Deum, ut fiat unus spiritus cum eo. Ad hoc adhortatur Isaias dicendo: Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo. (*Isai.* 2, 10.) Ingredere in petram, id est: in divinitatem Christi: abscondere in fossa humo, id est in vulneribus Christi. Qui in hac petra est, solus est: qui extra hanc petram est, in multitudine est. In hac solitudine mentis tanta gratia et illuminatio mentis percipitur, ut percipiens sit gravis aliis ad videndum. Sicut Moyses solus manens in monte cum Deo quadraginta diebus et noctibus tantum illuminatus fuit, ut lux in vultu erumperet, et de

claritate vultus quasi radii solis procederent, quos filii Israël non potuerunt intueri, donec faciem suam velaret.

2. Ad amorem solitudinis nos inducere debet exemplum sanctissimum Domini nostri Jesu Christi, qui licet ex nullius consortio unquam impediri potuit a spirituali negotio, saepe tamen declinavit a turba propter amorem solitudinis, et quandoque cum amplius non potuit, a carissimis Apostolis suis ad orandum secessit, quantum jactus lapidis, ut scribit Lucas: (22, 41.) per hoc innuens, quod etiam viri sancti in multitudine familiariter Deo vacare non possunt: aut modicam, aut nullam gratiam efficacem inter homines consequuntur. Hinc est, quod Zachaeus Dominum Jesum in turba videre non poterat; sed postmodum vidit ipsum, et vocem Salvatoris audivit, quando solus arborem ascendit.

Ad idem nos inducere debet utilitas solitudinis, de qua Dominus de sponsa dicit: Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. (*Ose.* 2, 14.) O quam felix est, qui vel semel audit Dominum intus loquentem. Locutio Domini in corde, est de arduis gratiis securitatem menti praestare.

Ad idem nos inducere debet, quod sancti Eremitae olim cucurrerunt et erraverunt in solitudine, in montibus, in speluncis, et in cavernis terrae, ut Deo continuo vacare possent. Quandoque in quadraginta annis hominem non viderunt.

3. Argumentum verae solitudinis habet, cui gravis poena est, esse cum hominibus: et ab aliis se abstrahit, quacunque occasione potest. Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. (*Ps.* 54, 8.) Sicut Mariae Magdalenae

poena fuit videre homines, postquam Jesum amplius videre non potuit. Imo etiam videre angelos, poenale ille fuit. Unde angelis volentibus eam consolari de recessu Domini de sepulchro, ait: Quaero Creatorem, et ideo mihi grave est videre creaturam. Ideoque fugit in eremum propter amorem Jesu Christi, triginta annis carens omni cibo et potu corporali: quam angeli levabant in aëra singulis horis ad orandum deputatis, in qua oratione sumsit animae et corporis nutrimentum.

4. Argumentum falsae solitudinis habet, qui licet sit solus corporaliter coram Deo, anima tamen ejus est in diversis mundi partibus, variis negotiis occupata. Haec duo, scilicet, taciturnitas et solitudo, efficaciter elevant ad contemplationem. Unde illud Threnorum: (3, 28.) Sedebit solitarius; et tacebit: quia levavit se super se.

CAPUT XXXIII.

De contemplatione.

1. Contemplatio vera et perfecta est collectio affectionum et omnium virium animae ad cognoscendum cum delectatione et admiratione mentis aliquid de natura divina: scilicet de potentia, sapientia, bonitate, caritate, nobilitate, largitate, etc. sive occulta Dei judicia, sive sanctissimam eius voluntatem, sive aliquam perfectionem, quae tendit in Deum. In hac contemplatione fuerunt Patriarchae et Prophetae, et Apostoli sancti. Nam Patriarchis et Prophetis occulta sua per

Spiritum sanctum revelavit, ut Noë de diluvio, Abraham de subversione Sodomorum, Jeremiae de transmigratione Judaeorum et captivitate, Joseph de fame Aegypti, Danieli de statua Nabuchodonosor; et sic de aliis Patriarchis et Prophetis, quibus alia secreta revelavit, ut Ezechieli visiones diversas. Unde Amos: Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. (*Amos* 3, 7.) Apostolis vero per unigenitum Filium suum omnem voluntatem suam, et omnem perfectionem indicavit, sicut ipse dicit: Omnia, quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis; (*Joan.* 15, 15.) ut et ipsi posteris suis eadem revelarent; quod et fideliter fecerunt. Nam in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. (*Ps.* 18, 5.) Sed inter alios Apostolos B. Joanni Evangelistae, et B. Paulo occultissima revelavit et indicavit. Inter alia patefecit eis octo beatitudines, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam etc. Beati mites, quoniam etc. Quae beatitudines in se magnam continent perfectionem, perfectamque Dei voluntatem indicant.

2. Differunt autem contemplatio, meditatio et cogitatio. Nam in cogitatione mentis est evagatio: in meditatione investigatio: in contemplationne mentis admiratio. Cogitatio est sine labore, et sine fructu: meditatio est cum labore et fructu: contemplatio est sine labore, et cum fructu.

3. Ad contemplationem Dei inducere nos debent tres gradus, de quibus D. Gregorius. Primus est, ut se (scilicet anima) ad se colligat. Secundus, ut videat, qualis sit collecta. Tertius, ut super semetipsam, ac se contemplationi auctoris invisibilis intendendo sub-

jiciat. Sed se ad se nullatenus colligit, nisi prius didicerit terrenarum atque coelestium imaginum phantasmata ab oculo mentis compescere: quidquid de visu, quidquid de auditu, quidquid de odoratu, quidquid de tactu et gustu corporeo cogitationi ejus occurrerit, respuere atque calcare: quatenus talem se quaerat intus, qualis sine istis est. Nam haec quando cogitat, quasi quasdam umbras corporum introrsus versat. Abigenda ergo sunt omnia manu discretionis ab oculis mentis, quatenus talem se anima consideret, qualis sub Deo supra corpus creata est: ut a superiore vivificata, vivificet inferius, quod administrat.

Ad idem inducere nos debet ineffabilis suavitas, quae ibi percipitur: admirabilis perfectio, quae ibi addiscitur: principium omnis beatitudinis, quod ibi reperitur. Nam fons omnis beatitudinis summus Deus ibi cognoscitur, et quod cognoscitur, hoc amatur: et quod vere amatur, hoc desideratur: et pro quo studiose laboratur, hoc tandem adquiritur: cumque tandem adquisitum fuerit, cum delectatione interminabili possidetur. De hac D. Bernardus: Quae enim anima semel a Deo didicit et accepit intrare ad seipsam, et in intimis suis Dei praesentiam suspirare, et quaerere faciem ejus semper: (Spiritus est enim Deus: et qui quaerunt eum, oportet eos in spiritu ambulare, et non in carne, ut secundum carnem vivant.) talis, inquam, anima, nescio, an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius, poenaliusve ducat, quam post spiritualis studii hujus gustatam semel suavitatem, exire denuo illecebras, vel potius ad molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem: dicente Ecclesiaste: (1, 8.) Oculus non impletur visu, nec auris auditu.

Audi enim hominem expertum, quae loquitur: Bonus es, inquit, Domine, sperantibus in te, animae quaerenti te. (*Thren*. 3, 25.) Ab hoc bono si quis avertere sanctam illam animam conaretur, puto, haud secus accepisset, quam si se de paradiso, et ab ipso introitu gloriae conspiceret deturbari. Audi adhuc et alium similem huic: Tibi dixit cor meum, ait, exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram. (*Ps*. 26, 8.) Unde dicebat: Mihi autem adhaerere Deo bonum est. (*Ps*. 72, 28.) Et item loquens ad animam suam dicit: Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. (*Ps*. 114, 7.) Dico ergo vobis: Nihil est, quod in tantum formidet, quisquis hoc beneficium semel accepit, quam ne a gratia derelictus necesse habeat, denuo egredi ad carnis consolationes, imo desolationes, rursumque carnalium sensuum sustinere tumultus. In hac contemplatione fuit D. Augustinus, cum dixit: Mihi autem displicebat, quod agebam in saeculo, et oneri erat mihi valde; non jam inflammantibus cupiditatibus, ut solebant, spe honoris et pecuniae. Jam enim me illa non delectabant, prae dulcedine tua, et decore domus tuae, quam dilexi.

4. Argumentum verae contemplationis habet, quem in miseria hujus mundi vivere taedet, cum B. Tobia dicens: Expedit mihi mori magis, quam vivere. (*Tob*. 3, 6.) Et cum Job: Taedet animam meam vitae meae. (*Job* 10, 1.) Et cum B. Paulo: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*Rom*. 7, 24.) Et qui ad fontem vitae sitit, dicens cum Psalmista: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. (*Ps*. 41, 2.) Unde D. Gregorius: Vita contemplativa est, caritatem

quidem Dei et proximi tota mente retinere; sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhaerere, ut nil jam agere debeat; sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat, ita, ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum moerore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri coelestibus civibus, de aeterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.

5. Argumentum falsae contemplationis habet, qui aliquid de Deo, vel aliqua perfectione ejus habet, cui veritas sacrae scripturae contradicit: et hoc tamen per rationes temere defendit. Ex hoc olim haereses processerunt, scilicet Arii, qui Filium coaeternum et consubstantialem Patri negavit: et Sabellii, qui personas in Trinitate confudit, ponens nominalem tantum differentiam, cum vere differant proprietatibus. Pater enim proprie habet innascibilitatem, Filius proprie nascibilitatem, Spiritus sanctus processionem.

CAPUT XXXIV.

De discretione.

1. Discretio vera est, prudenter judicare inter Creatorem et creaturam: quid sit Creator, et quid creatura. Item dijudicare, quid sit bonum, quid melius, et quid optimum; quid malum, quid pejus, et pessimum: quantum sit bonum appetendum, et quantum malum sit detestandum. Item quantum reverentiam

debeat homo superiori, quantam clementiam inferiori et compassionem, et qualem societatem aequali; qualiter se debeat habere ad mortuos, qualiter ad vivos: qualiter ad praedecessores, et qualiter ad successores: qualiter ad amicos, ut diligantur in Deo; et qualiter ad inimicos, ut diligantur propter Deum: qualiter coram Deo occulte, et qualiter cum hominibus manifeste: quae refectio carni, et quae spiritui impendenda sit: quibus vestibus induendum: quando comedendum, quando bibendum, quando abstinendum, et quantum, et a quibus cibis: quando vigilandum, quando dormiendum, et quantum et quamdiu: quando orandum, quando flendum, et quando aliquod opus faciendum: quomodo se habendum ad laudem, et quomodo ad reprehensionem: quando loquendum, et quando tacendum: quantum, quibus de causis, cum quibus, quo loco, et quo tempore: quando accipiendum, quando retinendum, et quando largiendum; et quantum, et quibus, et quo tempore. De omnibus his ordinare, et prudenter dijudicare est vera discretio. Haec virtus est magistra omnium virtutum, statuens omnibus modum et ordinem. Ubi autem discretio non est, ibi caritas non servat ordinem, quid primo, quid postremo diligendum est; nec modum, quid minus, quid amplius diligendum sit, novit. Neque ibi ordo servatur, teste D. Augustino: Ubi, inquit, nimium servatur humilitas, regentis frangitur auctoritas.

Item obedientia caeca et stulta est, cum etiam in malis credit obediendum esse. Ibi etiam largitas nimium se effundit, cum histrionibus sine necessitate datur. Ibi timor in desperationem dejicitur, spes in praesumtionem convertitur. Ibi justitia nimiam severitatem demonstrat. Ibi patientia, misericordia, man-

suetudo, benignitas, bonitas injusta dissimulat. Ibi religio dissolvitur, veritas falsificatur, castitas violatur, maturitas levis efficitur, constantia permutatur.

Haec virtus ex defectu aliarum virtutum crescit. Cum enim homo saepe cadit, de humilitate in superbiam vel vanam gloriam: de caritate in invidiam: de patientia in iram: de mansuetudine in rancorem: de fervore in teporem; de castitate in carnalem concupiscentiam: de amore paupertatis in avaritiam: de pace in turbationem: de unione in discordiam: de obedientia in rebellionem: de maturitate in levitatem: de religione in dissolutionem: de taciturnitate in loquacitatem vel detractionem: de spirituali amore in carnalem: de spe in praesumtionem: de justo timore in humanum et servilem: de justitia in severitatem: de misericordia in mollitiem: de constantia in mobilitatem: de veritate in falsitatem: tunc primum fit cautior ad cavendum, et solicitior, et in omnibus discretior.

2. Ad veram discretionem nos inducere debet et potest assidua lectio et meditatio in scripturis: continua investigatio de Sanctorum exemplis: frequens consilium a viris discretis, juxta illud: Consilium semper a sapiente perquire. (*Tob.* 4, 19.) Unde Dominus ad Paulum: Surge, et ingredere civitatem: et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. (*Act.* 9, 7.) Similiter misit leprosos dicens: Ite, ostendite vos sacerdotibus. (*Luc.* 17, 14.) Non tantum uni, sed pluribus, ut si unus minus sit discretus, alter discretior perquiratur.

3. Argumentum verae discretionis habet, qui omnia facta sua cum consilio discretorum pertractat. Quos si semper habere non potest, singula opera sua et negotia in conscientia sua coram Deo cum vera discre-

tione, et matura deliberatione discutit, juxta illud: Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis. (*Eccli.* 32, 24.) Nec tamen in hoc conscientiae suae semper credat, nisi scripturae manifestum testimonium habeat. Nec scripturam ad sensum suum aliquatenus retorqueat, sed sensum suum scripturae conformet.

4. Argumentum indiscretionis habet, qui jejuniis, vigiliis, orationibus, disciplinis et lacrimis supra vires laborat, brevi tempore se destruens, ut pluribus annis in servitio Dei inutilis fiat. Sed, heu, pauci sunt homines hujus temporis, qui in hujusmodi excedunt.

5. Argumentum falsae discretionis habet, qui volens cavere destructionem sui corporis, nihil eorum negligit, quae commoda sunt corpori, dicens Domino: Fortitudinem meam ad te custodiam; (*Ps.* 58, 10.) et spiritus interim sine spirituali cibo deficit et tabescit, qui sine labore nullatenus haberi potest. Unde D. Augustinus: Dum infirmitatem nostrae carnis timemus, salutem animae negligimus, quia caro, cum delicate nutritur, occidit spiritum, teste D. Augustino: Sicut tinea lanam devorat et ligna, foenum et stipulam ignis comburit: ita delicata caro animam concremat et consumit. Talis non cogitat, quod tandem caro destruetur, etiamsi omni commodo frueretur; sicut saeculares, omnem corpori voluptatem impendentes, non magis Deo serviunt, sed frequentius infirmantur. Melius est autem viventem spiritum gratia repletum esse in corpore languido, quam spiritum languidum vel mortuum esse in corpore sano.

---

suetudo, benignitas, bonitas injusta dissimulat. Ubi religio dissolvitur, veritas falsificatur, castitas violatur, maturitas levis efficitur, constantia permutatur.

Haec virtus ex defectu aliarum virtutum crescit. Cum enim homo saepe cadit, de humilitate in superbiam vel vanam gloriam: de caritate in invidiam: de patientia in iram: de mansuetudine in rancorem: de fervore in teporem; de castitate in carnalem concupiscentiam: de amore paupertatis in avaritiam: de pace in turbationem: de unione in discordiam: de obedientia in rebellionem: de maturitate in levitatem: de religione in dissolutionem: de taciturnitate in loquacitatem vel detractionem: de spirituali amore in carnalem: de spe in praesumtionem: de justo timore in humanum et servilem: de justitia in severitatem: de misericordia in mollitiem: de constantia in mobilitatem: de veritate in falsitatem: tunc primum fit cautior ad cavendum, et solicitior, et in omnibus discretior.

2. Ad veram discretionem nos inducere debet et potest assidua lectio et meditatio in [illegible] continua investigatio [illegible] Sanctorum exe[illegible] silium a viri[illegible] [illegible]etis, juxta [illegible] a sapiente [illegible] (Tob [illegible] Paulu[illegible] ingr[illegible] tibi [illegible] [illegible] m[illegible] [illegible] [illegible]

...one, et matura deliberatione discutit, juxta illud: ...ili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis. (*Eccli.* 32, 24.) Nec tamen in hoc conscientiae suae semper credat, nisi scripturae manifestum testimonium habeat. Nec scripturam ad sensum suum aliquatenus retorqueat, sed sensum suum scripturae conformet.

4. Argumentum indiscretionis habet, qui jejuniis, vigiliis, orationibus, disciplinis et lacrimis supra vires laborat, brevi tempore se destruens, ut pluribus annis in servitio Dei inutilis fiat. Sed, heu, pauci sunt homines hujus temporis, qui in hujusmodi excedunt.

5. Argumentum falsae discretionis habet, qui volens cavere destructionem sui corporis, nihil eorum negligit, quae commoda sunt corpori, dicens Domino: Fortitudinem meam ad te custodiam; (*Ps.* 58, 10.) et spiritum interim sine spirituali cibo deficit et tabescit, qui sine labore nullatenus haberi potest. Unde B. Augustinus: Dum infirmitatem nostrae carnis timemus, [illegible] animae negligimus, quia caro, cum delicate nutritur, [illegible] ...lit spiritum, ait B. Augustinus: Sicut enim ignem [illegible] ligna, fenum et stipulam ignis comburit: [illegible] consumit. Talis [illegible]

CAPUT XXXV.

De congratulatione.

1. Congratulatio vera ad Deum est, congaudere Deo in omni beatitudine et perfectione sibi innata aeternaliter: videlicet, de omnipotentia, sapientia, bonitate, etc. et quod nullius indiget, sed quod sibi ipsi sufficit, et omnibus creaturis.

Item congaudere Deo, de ordinatione coeli et terrae, et omnium, quae in eis sunt: et de omnibus operibus suis, a principio mundi usque ad finem saeculi. Praecipue de operibus incarnationis ejus, circumcisionis, passionis, resurrectionis, ascensionis. Spiritus sancti missionis: et de omnibus judiciis, manifestis et occultis circa daemones, circa animas in inferno, in limbo, in purgatorio, et circa malos homines in mundo.

Item congaudere Deo, quidquid laudis et reverentiae habet ab angelis et Sanctis in coelo, et ab hominibus in terra.

Imo vera congratulatio ad proximos est, congaudere singulis angelis et Sanctis de gloria in coelo. Item peccatoribus de conversione; justis de confortatione et gratiarum conservatione; ecclesiae de Sacramentis et donis Spiritus sancti, et congaudere omnibus sanctis hominibus in ecclesia et in terra: scilicet B. V. Mariae, Patriarchis et Prophetis, Apostolis, et singulis electis, de donis perceptis, et percipiendis singulis a Deo.

2. Ad veram congratulationem inducere nos debet maxima utilitas ex ea proveniens. Nam quidquid Deus

omnipotens perfectionis, bonitatis et beatitudinis in se naturaliter habet, quidquid gloriae angeli et Sancti in coelo: quidquid gratiae et virtutis ecclesia, et fideles habent in ea, hoc totum proprium fit unicuique per congratulationem.

Ad idem nos inducere debet, quod congratulatio Patris, Filii, et Spiritus sancti origo est omnium creaturarum: et semper fuit, et nunc est principium omnium operum divinorum.

3. Argumentum verae congratulationis habet, qui per omnia delectatur in omnibus, quae in Deo sunt: cui ordinatio ecclesiae, et omnia opera Dei, et judicia, et mores divini, et sanctissima exempla Domini nostri Jesu Christi, et omnium amicorum ex corde placent, et omnia ea verbis commendat et aliis manifestat.

Item cui de singulis donis naturalibus, spiritualibus, gratuitis angelorum et Sanctorum in coelo, et singulorum hominum in terra generatur gaudium spirituale: et haec omnia semper et ubique cooperatur pro posse.

4. Argumentum falsae congratulationis habet, qui omnem ordinationem divinam in coelo et in terra, et opera justorum, et virtutes, et sanctam eorum vitam commendat in ore, sed omnia in opere vituperat. Talibus improperat Dominus in Isaia: (29, 13.) Populus hic ore suo et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me. Tales de corpore ecclesiae praecisi sunt, qui bona corporis non participant.

CAPUT XXXVI.

De confidentia.

1. Confidentia vera et perfecta est mentis securitas, quod omnipotens et fidelis Deus nunquam amicos derelinquit, juxta illud: Nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? (*Eccli.* 2, 11. 12.)

2. Ille veram confidentiam habet, qui certus est, quod bonus Deus suis semper praesens et in tribulationibus, et semper paratus est, ut eos a tentationibus liberet, et liberatos glorificet, juxta illud: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. (*Ps.* 90, 15.) Sic fuit cum Daniele in lacu leonum: cum Noë in arca: cum Joseph in cisterna: cum tribus pueris in camino ignis: et hos omnes benignissime liberavit. Unde B. Petrus: Novit Dominus pios de tentatione eripere. (*II. Petr.* 2, 9.) Et in Tobia (3, 21. 22.) dicit Sara: Hoc pro certo habet omnis, qui colit te, quia vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur. Et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis; et post lacrimationem et fletum exultationem infundis.

Ille veram confidentiam habet, qui omnes preces suas, et omnia desideria sua justa non dubitat exaudiri. Nam D. Chrysostomus dicit: Si cum hoc studio mentis accesseris, et dixeris: Non recedam, (scilicet,

nisi accepero,) prorsus accipies, si talia postulaveris, quae et illum, qui petitur, dare deceat, et accipere tibi, qui precaris, expediat. Haec virtus valde laudabilis est, et magni meriti coram Deo. De quo hortatur Apostolus, dicens: Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. (*Hebr*. 10, 35.)

3. Ad veram confidentiam inducere nos debet, quod largissimus Deus absque desiderio nostro saepe majora nobis dat ex sua mera et incomprehensibili bonitate, quam auderemus desiderare. Creavit enim nos Pater ad imaginem Trinitatis: et sanctissimus Filius ejus dedit nobis carnem suam in cibium, et sanguinem in potum, et animam in pretium redemtionis. Quis enim unquam vel semel auderet de hujusmodi cogitare?

Ad idem inducere nos debet dispositio Christi in cruce. De hac enim dicit D. Bernardus: Quis enim non raperetur ad spem, et ad impetrandi fiduciam, si attenderet in cruce Christi corporis dispositionem? Vide caput inclinatum ad osculandum: brachia extensa ad amplexandum: manus perforatus ad largiendum: latus apertum ad diligendum: totius corporis extensionem ad se totum impendendum.

4. Argumentum verae confidentiae habet, qui de peccatis mortalibus in conscientia non mordetur, teste Joanne: (*I*. 3, 21. 22.) Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: et quidquid petierimus, accipiemus ab eo. Uude legitur de Susanna: Erat cor ejus fiduciam habens in Domino, (*Dan*. 13, 35.) quia innocentem se cognovit de crimine objecto.

Aliud argumentum verae confidentiae habet, qui

in bonis operibus continue se exercet; et praecipue in spirituali eleemosyna, quae est remittere injurias, et supererogare orationes. De qua dicitur in Tobia: (4, 11. 12.) Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat: et non patietur animam tuam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

Aliud argumentum verae confidentiae habet de remissione peccatorum, qui in juventute et sanitate sua ad veram poenitentiam pro peccatis se exhibet; teste Augustino: Si quis positus in ultima necessitate aegritudinis suae voluerit accipere poenitentiam, et accipit, et mox reconciliabitur, et hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit; sed non praesumimus, quia hinc bene exit. Non praesumo, non vos fallo, non praesumo. Fidelis bene vivens securus hinc exit. Baptizatus ad horam securus hinc exit. Agens poenitentiam et reconciliatus, cum sanus est, et postea bene vivens, securus hinc exit. Agens poenitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Et paulo post: Numquid dico: damnabitur? Non dico. Sed dico etiam: liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? Nescio. Non praesumo, non promitto, nescio. Vis te de dubio liberare? Vis, quod incertum est, evadere? Age poenitentiam, dum sanus es. Si enim agis veram poenitentiam, dum sanus es, et invenerit te novissimus dies, curre, ut reconcilieris. Si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti poenitentiam eo tempore, quo et peccare potuisti. Si autem vis agere poenitentiam ipsam tunc, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed unde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? Verum

dicis. Unde? Nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do poenitentiam, quia nescio. Nam si scirem, tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem, tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duae res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo tene certum, et dimitte incertum. — Qui veram volunt obtinere poenitentiam, oportet, quod convertant vires suas ad opera spiritualia, juxta illud Isaiae: Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae: current, et non laborabunt: ambulabunt, et non deficient; (*Isai.* 40, 31.) ut, qui ante fuerunt fortes ad labores corporales, postea sint fortes ad labores spirituales.

5. Argumentum diffidentiae habet, qui vilipendens gratiam redemtionis in peccatis scienter jacet. Unde in Evangelio: Scimus, quia peccatores Deus non audit: sed siquis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. (*Joan.* 9, 31.) Et in Psalmo: (65, 18.) Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Et Isaias: (59, 2.) Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum: et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.

6. Argumentum falsae confidentiae habet, qui putat justissimum Deum in tantum vinci misericordia et pietate, ut tam bonos, quam malos salvet in die judicii, eoquod pro omnibus mortuus est. Contra hoc dicit Dominus: Ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam. (*Matth.* 25, 46.)

Argumentum falsae confidentiae habet, qui putat, peccatorem primam gratiam promereri posse, quando sibi placet.

Item, si quis credit, quod, qui hic abundat in temporalibus bonis, post etiam in futuro abundet in gaudio sempiterno. Contra hoc dicitur in Psalmo: (51, 8. 9.) Videbunt justi (scilicet divitem in inferno), et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et praevaluit in vanitate sua.

CAPUT XXXVII.

De contemtu mundi.

1. Verus contemtus mundi est, abrenuntiare mundi rebus temporalibus, pompis saeculi, dignitatibus et praelaturis spiritualibus: et abstrahere se a cunctis amicis carnalibus, et moribus saecularibus, propter spem beatitudinis aeternae. Ad hoc monet nos B. Joannes, in canonica sua (*I.* 2, 15.) dicens: Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Hunc contemtum habuit D. Augustinus, cui displicebat, quidquid agebatur in saeculo. Cumque colloquebatur cum matre sua valde dulciter, displicebat, et vilescebat ei mundus inter verba cum delectabilibus suis. Similiter B. Agnes, Catharina, Caecilia, et aliae virgines regnum mundi et omnem ornatum saeculi contemserunt propter amorem Domini nostri Jesu Christi.

2. Ad contemtum et odium mundi inducere nos debet, quod tantam infidelitatem exhibet in fine dilec-

toribus suis. Nam et hoc factum est Creatori a mundanis, quem in die palmarum gloriose susceperunt, exeuntes obviam ei, et cantantes: Hosanna Filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini; hosanna in excelsis. (*Matth.* 21, 9.) Sed postmodum in feria sexta processerunt clamantes coram Pilato: Crucifigatur, crucifigatur. (*Matth.* 27, 23.) Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. (*Joan.* 18, 30.) Et cum penderet in cruce, deridebant eum, dicentes: Salva temetispum, si Filius Dei es. (*Matth.* 27, 40.) Et quem palmis, floribus et frondibus susceperunt, virentibus spinis coronaverunt, virgis et flagellis caeciderunt. Et cui vestimenta in via straverunt, ante crucem vestibus omnibus nudaverunt et spoliaverunt: et gloriam exhibitam in contumeliam mutaverunt.

Ad ejusdem contemtum et odium nos inducere debet periculum, ex amore mundi proveniens. Nam teste Jacobo: Nescitis, quod amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicunque ergo voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituitur. (*Jac.* 4, 4.) Et quia mundus odivit Dominum Jesum, et omnes amicos ejus: sicut ipse dixit Apostolis ad consolationem: Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. (*Joan.* 15, 18.)

3. Argumentum veri contemtus habet, qui non curat generis nobilitatem, nec quaerit carnis voluptatem, nec divitias appetit, nec culmen honoris. Talis fuit Moyses, de quo Apostolus: Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiae Pharaonis, (contra nobilitatem:) magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, (contra voluptatem:) majores divitias aestimans thesauro Aegyp-

tiorem improperium Christi, (contra divitias.) Aspiciebat enim in remunerationem. (*Hebr*. 11, 24. 25. 26.)

Aliud argumentum veri contemtus mundi habet, qui nec saeculi blanditiis mulcetur, nec minis terretur, nec vituperio et laude humana movetur. In hoc contemtu fuit Apostolus, quando dixit: Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. (*Philip*. 3, 8.)

4. Argumentum falsi contemtus mundi habet, qui ac amore saeculi et illecebris mundi tunc primo se abstinet, quando prae senectute et paupertate se in ipsis exercere non valet. Tunc enim non relinquit mundum, sed a mundo relinquitur. Sicut, heu, quam plurimi sunt, qui primum peccare desistunt, quando amplius peccare non possunt.

CAPUT XXXVIII.

De maceratione.

1. Maceratio carnis vera est, cum quis sponte castigat corpus suum jejuniis, vigiliis, orationibus, ciliciis, disciplinis, abstinentia cibi et potus delectabilis, ut in omnibus caro spiritui subjaceat. Hoc fecit Apostolus, cum dixit: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. (*I. Cor*. 9, 27.) Et Judith, quae pulchra et juvenis erat, vidua et dives, postquam manserat cum viro suo tribus annis a virginitate sua,

et sex mensibus, habuit cilicium super lumbos suos: et jejunabat omnibus diebus, praeter dies solemnes.

2. Ad amorem macerationis carnis inducere nos debet magna utilitas ex ea proveniens. Nam ex maceratione carnis spiritus in negotiis spiritualibus roboratur, juxta illud Apostoli: (*II. Cor.* 12, 10.) Cum enim infirmor (in carne), tunc potens sum (in spiritu.) Et contra: ex mollitie carnis vigor spiritus in spiritualibus hebetatur, juxta illud D. Augustini: Delicata caro animam concremat et consumit, sicut ignis stipulam.

3. Argumentum verae macerationis est, cum carni nulla voluptas, sed sola necessitas impenditur, juxta illud Apostoli: Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus. (*Rom.* 8, 12.) Nam voluptas multo plura delicatiora exigit, quam necessitas requirit; sed necessitas paucis est contenta. Et subjungit Apostolus malum, consequens voluptatem, dicens: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. (*Rom.* 8, 13.) Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt: fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, commessationes, et his similia: quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. (*Gal.* 5, 19. 20. 21.)

Aliud argumentum est, quando aliquis, secundum consilium Jesu Christi, odit animam suam in hoc mundo. Nam ipse Dominus ait: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. (*Luc.* 14, 26.)

Quod exponens D. Gregorius dicit: Tunc etenim bene nostram animam odimus, cum ejus carnalibus desideriis non adquiescimus: cum ejus appetitum frangimus, ejus voluptatibus reluctamur. Quae ergo contemta ad melius ducitur, quasi per odium amatur. Qui autem animam suam a concupiscentiis non refraenat, in laquaeos diaboli se praecipitat, secundum illud Ecclesiastici (18, 31.) Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis; sicut Dalila tradidit Samsonem fortissimum Philistaeis ad illudendum.

4. Argumentum verae macerationis non habet, qui tantum ventrem, et os suum coërcet a cibi et potus voluptate, et linguam suam non compescit a verbis illicitis, nec visum, auditum, gustum, odoratum et tactum refraenat a delectationibus, neque cor a cogitationibus et affectionibus voluptuosis. Parum est enim, os et ventrem restringere a cibis, ubi cor et quinque sensus deliciis pascuntur. Unde D. Chrysostomus: Qui a cibis abstinent, et male agunt, daemones imitantur, quibus non esca, sed nequitia semper adest.

CAPUT XXXIX.

De contritione.

1. Contritio vera est dolor pro peccatis voluntarie assumtus, pro quantitate et qualitate criminum, cum proposito confitendi et satisfaciendi, proveniens ex gratia gratuita. Dolor enim naturalis, vel dolor sine gra-

tia nihil prodest aut valet. Quantitatem doloris exprimit Jeremias, cum dicit: (6, 26.) Luctum unigeniti fac tibi. Hanc praecepit Dominus in Joële (2, 13.) dicens: Scindite corda vestra. Ad hanc scissionem valent spinae, clavi, virgae, flagella, crux et lancea, quae scindebant corpus Domini nostri Jesu Christi. Vera contritio rara est, teste D. Gregorio: Sciendum, quod sunt quidam, qui etiam saeculum relinquentes, totum quidem, quod habent, offerunt; et tamen in bonis, quae agunt, non compunguntur. Nec semper credendum est, veram esse compunctionem, ubi gemitus apparent et lacrimae. Nam ex timore inferni, vel ex consideratione alicujus damni, vel ex naturali dolore, vel ex naturali compassione saepe solent talia provenire: cum recordatur aliquis enormitatem scelerum suorum, vel acerrimam passionem Jesu Christi. Ad veram contritionem exigitur dolor de omnibus peccatis commissis, et de omnibus bonis omissis, et de omnibus gratiis neglectis sibi et universitati: et etiam quae occasione sui committi vel négligi potuerunt.

2. Ad veram contritionem inducere nos debet, si fideliter cogitamus, quid per peccatum amisimus: scilicet, Spiritum sanctum cum suis donis, omnesque gratias gratuitas, amicitiam Trinitatis, societatemque coelestis curiae. Item, quid adquisivimus per peccatum, aeternam scilicet mortem, maledictionem Dei Patris, teste Psalmista: Maledicti, qui declinant a mandatis tuis: (*Ps.* 118, 21.) odium Domini nostri Jesu Christi, qui odit omnes operantes iniquitatem: elongationem Spiritus sancti, qui etiam aufert se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu, sicut dicitur in libro Sapientiae. (1, 5.) Multo magis autem ab his operibus

malis; haec enim pejora sunt et horribiliora, quam ipsa poena gehennae, ut dicit D. Chrysostomus.

Ad idem nos inducere debet utilitas maxima, ex ea proveniens. Nam minima contritio omnes animae maculas delet, mortem aeternam occidit; benedictionem Dei Patris confert; amicitiam Filii Dei reddit; familiaritatem Spiritus sancti, societatemque civium supernorum restituit. Et quantumcunque parva sit contritio, magis satisfacit, quam maxima eleemosynarum largitio. Haec omnia saepe ponderata in statera cordis, inductiva sunt verae compunctionis.

3. Argumentum verae contritionis habet, qui in tantum detestatur peccati immunditiam, quod omnem poenam purgatorii libentius eligeret, quam quod contra benignissimum Deum unquam peccatum aliquod efficeret: et qui ad poenam infernalem se potius exhiberet, (sicut Eleazarus) quam unquam de caetero ex proposito aliquod peccatum committeret. Quod etiam eligendum esse dicit Augustinus. Et qui poenam omnium martyrum libentissime sustineret, ut per hoc mereri posset, qnod de caetero aliquod peccatum nunquam perpetraret. Et qui ad omnem afflictionem infirmorum et pauperum se offerret, ut pro offensa Deo digne satisfacere posset.

4. Argumentum falsae contritionis habet, qui, quamvis peccata commissa vehementer defleat, tamen continuo post dolorem eadem, vel alia committere non formidat. Contra hoc dicitur in Ecclesiastico: (34, 30.) Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio illius? Similiter, qui de peccatis praeteritis dolet, et de caetero peccata dimittere non proponit, scilicet superbiam, invidiam, carnalem ami-

citiam, carnis delectationem, injustam possessionem, de qua dicit D. Augustinus: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Contra hoc dicitur in Ecclesiastico: (34, 28.) Unus aedificans, et alter destruens, quid prodest illis, nisi labor? Destruit, qui de peccatis dolet: aedificat, qui in voluntate peccandi manet. De tali aedificatione dicit D. Augustinus: Ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.

CAPUT XL.

De confessione.

1. Confessio vera est sincera peccatorum sine velamine coram sacerdote legitima manifestatio. Hanc praecepit Dominus, quando leprosis dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. (*Luc.* 17, 14.) Et B. Jacobus: Confitemini alterutrum peccata vestra. (*Jac.* 5, 16.)

2. Ad veram confessionem exigitur, quod sit integra, pura, discreta, fidelis et perfecta, juxta illud Threnorum: (2, 19.) Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. In effusione notatur integritas. Non enim ex proposito dicenda sunt guttatim peccata, de quibus nunquam facta est confessio; sed quidquid potest cogitari, totum coram uno sacerdote simul debet effundi. Sicut aquam. Ubi notatur, quod simplex debet esse et pura. Non ex timore servili, vel coactione facienda est confessio, sed pure et simpliciter propter Deum. Cor tuum. Ubi notatur

discretio. Non enim confitenda sunt solum verba et facta, commissiones et omissiones, sed etiam cogitationes immundae et morosae affectiones, inordinatae intentiones, noxiae voluntates, perversa judicia, et suspiciones temerariae. Nam dicit Origenes, quod in illa die accusabunt cogitationes animas et defendent. Non cogitationes, quae tunc erunt, sed quae nunc sunt in nobis, quarum quaedam notae relinquentur in corde, velut in cera. Ante conspectum Dei. Ubi notatur fidelitas et perfectio. Secundum agnitionem quippe Dei omnia consideranda sunt. Ubi enim nos unum peccatum agnoscimus, ipse in sapientia cognoscit mille.

3. Ad confessionem veram inducere nos debet certa remissio peccatorum, et mundatio animae, juxta illud: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. (*I. Joan.* 1, 9.) Et quia ad remissionem et propitiationem astringitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, secundum illud: Etsi omnia novit Deus, vocem tamen confessionis exspectat. Habet enim causam, ut pro te interveniat Christus. Habet et causam ignoscendi Pater. Et quidquid vult Filius, vult et Pater, et Spiritus sanctus.

4. Argumentum verae confessionis habet, qui omnia peccata sicut aquam effundit; non ut remaneat color, sicut in effusione lactis; nec pinguedo vel sapor, ut in effusione olei vel sunguinis: nec odor, ut in effusione vini vel aceti. Color remanet, quando dicitur peccatum, et reticetur occasio, vel provocatio ad peccandum, ut fit in gula, vel in fornicatione. Pinguedo vel sapor remanet, cum dicitur peccatum, et reticetur quantitas,

vel diuturnitas delectationis, in qua penitus absorbetur, juxta illud: Et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus. (*Ps*. 108, 18.) Odor manet, cum dicitur peccatum, et tacetur infamia, vel malum exemplum et scandalum aliorum. Sed vere confitens manifestat ipsum peccatum, et antecedentia peccatum et subsequentia.

Argumentum verae confessionis est, cum confitetur quis peccata sua in numero, pondere et mensura. In numero confitendum est, id est, vices peccatorum; quia vulnus saepius renovatum tardius sanatur. Item in mensura, quando quis confitetur diuturnitatem peccati. Qui enim diutius infirmatur, citius moritur. In pondere, id est, gravitate. Aggravatur enim peccatum ex sacro loco, ut est coemeterium vel ecclesia; ex sacro tempore, vel ex persona: ut si clericus, qui laeditur: si monialis vel conjugata, cum qua peccatur.

5. Argumentum falsae confessionis est, cum propter hoc aliquis confitetur, ne infidelis dicatur; vel ut sanctior reputetur; vel ne sibi sacra communio cum confusione denegetur. Sic confitebatur Saul, ne a propheta Samuele coram populo confunderetur.

CAPUT XLI.

De poenitentia.

1. Poenitentia vera exterior est abstinentia a licitis, cum de illicitis venia postulatur, ut dicit Scriptura. Sic poenitentes et claustrales a carnibus abstinent,

delicatas vestes abjiciunt, jejunia servant, vigiliis insistunt, disciplinis se affligunt, silentium tenent, propriam voluntatem frangunt, et a multis delectationibus abstinent, quae licita eis essent, si nunquam illicita commisissent. Hinc praecepit Dominus, et B. Joannes Baptista, dicentes: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum. (*Matth.* 4, 17. et 3, 2.)

2. Ad veram poenitentiam nos inducere debet necessitas. Nam sine ipsa non est salus, dicente Domino: (*Luc.* 13, 3.) Si non poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Et D. Augustinus: Peccata, inquit, sive parva, sive magna sint, impunita esse non possunt. Unde Dominus indixit Davidi poenitentiam pro peccato suo, eoquod numeravit populum suum: ut vel sustineret septem annis famem super terram: vel tribus mensibus vindictam inimicorum: vel tribus diebus pestilentiam. Et elegit David sibi et populo communem plagam mortis. Per hoc significatur, quod necessario quilibet pro peccatis suis punietur in inferno, quod significant septem anni famis: vel in purgatorio, quod significat violentia inimicorum tribus mensibus: vel temporali poena, quod significat pestilentia trium dierum. Sic utile est nobis, eligere poenitentiam levissimam, et subito transeuntem.

3. Argumentum verae poenitentiae est debita commensuratio poenae contra culpam: ut secundum quantitatem culpae sit quantitas et gravitas poenae: secundum delectationem culpae sit amaritudo poenae: secundum diuturnitatem culpae sit diuturnitas poenae: et secundum multiplicitatem culpae sit multiplicitas poenae; juxta illud Joannis: Facite fructus dignos poenitentiae. (*Matth.* 3, 8. *Luc.* 3, 8.) Sicut enim singulae infirmi-

tates corporis habent necessario singulas medicinas, et nulla tam efficax est, ut sanet omnes aegritudines: ita et singula peccatorum genera specialem habent poenitentiam. Non enim directe emendatur superbia per eleemosynam; rancor et invidia per orationem; avaritia per jejunium; impudicitia per vigilias etc.; sed de superbia directe satisfit per humilitatem; de avaritia per eleemosynarum largitionem; de impudicitia per carnis castigationem in cilicio et disciplina; de gula per jejunium; de loquacitate per orationem; de invidia per charitatem et remissionem injuriae; de rapina et injustis possessionibus per restitutionem etc. Quodsi quis, ut dicit D. Chrysostomus, non potest explere omnem satisfaciendi ordinem, tunc benignus Dominus qualemcunque suscipit emendam. Tunc pro injustis rebus valet jejunium, si non potest restituere: si non potest jejunare, valet oratio: si non potest orare prae infirmitate, sufficit Deo bona voluntas.

4. Argumentum falsae poenitentiae ponit Innocentius: Falsa est poenitentia, cum poenitens ab officio, vel curiali negotio non recedit, quod sine peccatis agi nullatenus praevalet: aut si odium in corde gesserit: aut si offenso cuilibet non satisfaciat: aut si offendenti offensus non indulgeat: aut si arma quis contra justitiam gerat.

Item falsa est poenitentia, quando unum peccatum emendatur, et de alio non curatur.

CAPUT XLII.

De perseverantia.

1. Perseverantia vera est in bonis operibus, frequens exercitatio, continuum studium ad perfectionem, spiritualium gratiarum et virtutum diligentissima usque ad mortem observatio. Ad hanc invitat nos Dominus in Apocalypsi: (2, 10.) Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. Hanc habuit Job, cum dixit: Donec deficiam, non recedam ad innocentia meá. (*Job*. 27, 5.) Et Tobias, qui corpora mortuorum occultabat in domo sua, et mediis noctibus sepelivit; licet eum rex propter hoc spoliari jusserit, et occidi.

2. Ad amorem perseverantiae inducere nos debet maxima utilitas ex ea proveniens. Nam ex ea omne opus bonum, et omnis virtus coronabitur, et tota salus nostra in ea consistit, secundum illud Domini nostri Jesu Christi: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; (*Matth*. 10, 22.) sine qua nulla virtus, vel opus remunerabile est; sine qua omnis perfectio in nihilum redigitur. Quid enim profuit apostolo et traditori Judae, quod ipsum Dominus de mundo elegerat? Quid profuit diuturnitas familiaritatis Jesu Christi? Quid sancta praedicatio, quam saepe ab eo audierat? Quid exempla, virtutes et miracula, quae ab ipso viderat? Quid societas Apostolorum? Quid gratia ei collata ad praedicandum, et ad miracula faciendum? Nam ei cum aliis Apostolis dixit: Euntes praedicate, dicentes: quia appropinquavit regnum coelorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite. (*Matth*. 10, 7. 8.)

3. Argumentum verae perseverantiae habet, qui nec amore vitae, nec timore mortis, nec minis, nec promissis a rectitudine recedit; sicut Susanna mortem non timens dixit: Si hoc (id est, peccatum) egero, mors mihi est. (*Dan.* 13, 22.) Et Mathathias: Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedant unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiant mandatis ejus; ego et filii mei, et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus. (*I. Macchab.* 2, 19. 20. 21.)

4. Argumentum falsae perseverantiae habet, qui de sua sanctitate falso praesumit, quod cadere non possit. Ex hoc nascitur animi libertas: exinde non habet custodiam sui: et sic est impossibile, hominem in sanctitate posse perseverare. Et si Apostoli essent in mundo, et non haberent custodiam sui, cadere possent. Exemplum de David, qui homicidium et adulterium perpetravit; quia negligens fuit in custodia oculorum suorum.

EPILOGUS.

1. Confitebor tibi, Deus sanctissime, cum omnibus lacrimis et guttis sanguineis dilectissimi Filii tui, quod adhuc non perveni ad principium alicujus virtutis, in ea perfectione, sicut hic scriptum est. Gaudeo tamen, quod omnes virtutes perfectius habebimus, quam humanus valeat apprehendere intellectus. Confiteor tibi, Domine, quod beatus est in praesenti, et beatior erit in futuro, qui has virtutes habet in ea perfectione, sicut hic scriptae sunt, licet forte minus sufficiant ad salutem.

2. Peto etiam, Domine, cum omni disiderio Filii tui, et Spiritus sancti, et omnium creaturarum, ut des mihi discretionem inter virtutes gratuitas et naturales, et similitudines virtutum. Et quicunque legerit hanc materiam, vel de ipsa audierit, vel cogitaverit, tu, omnipotens Deus, confer ei saltem unicam, veram et perfectam virtutem. Certus sum, quod, qui habuerit unam a te, Domine, omnes simul habet. Et qui crescit in una, simul crescit in omnibus. Et qui in una decrescit, in omnibus simul decrescit. Et qui una caruerit, nullam habet; quia omnes unitae sunt in gratia. Amen.

APPENDIX.

SANCTI ALBERTI MAGNI,

ORDINIS PRAEDICATORUM, EPISCOPI RATISBONENSIS,

DE SACRO CHRISTI CORPORIS ET SANGUINIS SACRAMENTO SERMONES.

Primum principale circa hoc Sacramentum: de tribus causis institutionis Sacramenti Corporis et Sanguinis Christi.

CAPUT I.

De his tribus causis in genere.

Venite, comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis. (*Prov.* 9, 5.) His verbis Dominus nos invitat ad salutare convivium, in quo praeparavit pretiosum cibum, scil. corpus et sanguinem suum juxta illud: Causam tuam tracta cum amico tuo et secretum ne reveles extraneo. (*Prov.* 25, 9.) Res secreta est Altaris sacramentum, quasi sacrum secretum, cujus causa non infidelibus sed fidelibus est revelanda.

Nota quod causa institutionis est *triplex,* scil. *memoria Salvatoris, sacrificium Altaris, cibus ho-*

minis. Haec tria disposuit in hoc sacramento divina sapientia contra vetera mala, scil. contra oblivionem Dei, contra debitum rapinae alienae rei, contra corruptiones pomi mortiferi. Primi enim parentes in haec tria mala inciderunt serpentina fraude decepti et per eos successores sunt depravati. De primo: Initium superbiae hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus (*Eccl.* 10, 13.); scil. per oblivionem in occupatione damnosae negotiationis cum serpente, quod saepe adhuc quibusdam stultis solet evenire. De secundo: Videns mulier lignum, quod esset bonum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulit de fructu et comedit, deditque viro suo (*Gen.* 3, 6.); sic ambo rapinam commiserunt. Hujus rapinae similitudinem faciunt, qui in usu creaturarum et rerum per aliam justitiae mensuram excedunt. De tertio: De ligno scientiae boni et mali ne comedas; in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* 2, 17,); et in bono immortalitatis corporis. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt. (*Ps.* 13, 1.) Sic, qui peccati venenum in usum sumunt, animas occidunt et corrumpunt. Igitur contra triplex vetus malum institutum est hoc sacramentum.

Accipite et comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. — Hoc facite, inquit, in meam *commemorationem*, Ecce *prima* causa, scil. memoria Salvatoris contra oblivionem. — Quod pro vobis tradetur, i. e. ut agnus Dei offeretur. Ecce *secunda* causa, scil. sacrificium Altaris contra rapinam. — Accipite et comedite. Ecce *tertia* scil. cibus medicinalis contra corruptionem.

Memoria ergo Salvatoris contra oblivionem est

prima causa, ut non scil. admoniti, totam mentem et omnes sensus nostros, quos a Deo avertimus et cum pravis quandoque cogitationibus et delectationibus vagari permisimus, a noxiis abstrahentes integraliter ad Deum referamus. Hinc dicit: Hoc facite in meam commemorationem. Eusebius: Quia corpus assumptum Dominus ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necessarium erat, ut die coenae sacramentum nobis sui corporis et sanguinis consecraret, ut offeretur jugiter per mysterium, quod offerebatur in pretium, et perennis victima viveret in memoria et semper praesens esset in gratia.

Nota: ad habendam semper memoriam Salvatoris cogunt nos tria argumenta caritatis illius, sc. remissio peccatorum, redemptio impignoratorum, continuatio beneficiorum. De primo (*Is.* 43, 25.): Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor, reduc me in memoriam. De secundo (*Eccli.* 29, 20.): gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris, quin scil. eum pro ea diligas et quin orationibus et bonis operibus debitum ei reddas. Aperi mihi soror mea, amica mea, quia caput meum plenum est rore et cincinni mei guttis noctium. (*Cant.* 5, 2.) Aperi mihi, i. e. suscipe me in mentem tuam, in memoriam et dilectionem, quia caput meum scil. divinitas plenum est rore i. e. misericordia ad dimittendum peccata; et cincinni mei, i. e. humanitas; guttis noctium, i. e. effusione sudoris lacrimarum et sanguinis passionum ad redimendum haereditatem tuam pro satisfactione peccatorum tuorum impignoratam. De tertio: (*Deut.* 8, 11.) Observa et cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui et negligas mandata ejus, ne postquam

comederis et biberis et satiatus fueris, habuerisque cunctarum rerum copiam, elevetur cor tuum et non reminiscaris Domini Dei tui. Sicut nullum momentum est, quo non utitur homo Dei bonitate, ita semper debet esse in memoria praesens. (*Glos. in Eccl.*)

Secunda causa institutionis est sacrificium altaris contra quandam quotidianam delictorum nostrorum rapinam, ut sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce pro debito originali, sic offeratur jugiter pro nostris quotidianis delictis in altari et habeat in hoc ecclesia munus ad placandum sibi Deum, super omnia legis sacrificia pretiosum et acceptum. Placebit Domino sacrificium Juda et Hierusalem, quasi regis et militiae (*Mal.* 3, 4.), i. e. Christi et ecclesiae. Alexander Papa: Nihil in sacrificiis ecclesiae majus esse potest quam corpus et sanguis Christi. Ne ulla oblatio hac potior est, sed omnes praecellit, quae pura conscientia Deo offerenda est et pura mente sumenda. Et sicut potior est prae caeteris, ita potius venerari debet. Ad hoc sacrificium approbandum notatur triplex ratio mutandi vetus sacrificium.

Prima auctoritas nostri sacrificii: potentia scil. Christi, qui non solum ex eo, quod est Dominus et rex universae terrae, sed ex summi sacrificii ad eum translatione potuit et debuit suum in melius sacrificium commutare. Juravit Dominus et non poenitebit eum; tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. (*Ps.* 109, 5.) Non dicit secundum ordinem Aaron, vel secundum ritum Levitarum, qui obtulerunt carnes hircorum et taurorum, sed secundum ordinem Melchisedech, qui obtulit panem et vinum. Quod fuit necessarium secundum ordinem Melchisedech alium ex-

surgere sacerdotem et non secundum ordinem Aaron. Translato enim sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat. Manifestum est autem, quod ex tribu Juda ortus est Dominus, de qua secundum legem non erant sacerdotes. (*Hebr*. 7, 11—13.)

Secunda est debitorum nostrorum exigentia. Tam magnum enim erat debitum primorum parentum ex rapinae magnitudine, ex raptoris ingratitudine, ex laesi scil. creatoris majestate, quod non solum legis sacrificia sed totus mundus cum omni creatura non sufficit pro satisfactione. Christus ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. (*Hebr*. 10, 5.) Ingrediens, i. e. homo factus, dicit: hostiam de animalibus et oblationem de aliis rebus noluisti, i. e. non placuerunt tibi; corpus autem, quod prae omnibus sacrificiis est, quia sine peccato aptasti mihi, i. e. aptum et idoneum dedisti mihi vivendo, quod pro omni redemptione valeat offeri. Quae non rapui, tunc exsolvebam (*Ps*. 68, 5.); quando scil. pro debitis omnium sufficiens sacrificium in cruce offerebam.

Tertia ratio mutandi est ipsorum sacrificiorum legis insufficientia. Et hoc probatur a tribus, quia scil. Deo non placuerunt, quia peccata non abstulerunt; quia gratiam non contulerunt. De primo: Holocausta vestra non sunt accepta, victimae vestrae non placuerunt mihi. (*Jer*. 6, 22.) Misericordiam volo et non sacrificium. (*Os*. 6, 6.) De secundo: Holocaustum et pro peccato' non postulasti. Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram Domino. (*Rom*. 3, 20.) Impossibile est sanguine hircorum et taurorum auferri peccata. (*Hebr*. 10, 3.) De tertio: Dedi praecepta non

bona et judicia, in quibus non vivent. (*Ez*. 20, 25.) Praecepta non bona, i. e. minus bona et sacrificia scil. caeremonialia, in quibus non vivent, quia vitam gratiae non conferebant. Reprobatio quoque sit praecedentes mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex, quasi propter ejus sterilitatem, quia non conferebat gratiam.

Tertia institutionis *causa* est cibus hominis. Cibus, inquam, medicinalis contra pomi mortiferi corruptionem, quae tam prava infusa est per primos parentes humano generi, ut esset incurabilis, nisi subveniretur medicina optima, quam posset facere prudentia Dei. *Eccl.* 38, 4.: Altissimus de terra, i. e. de carne Virginis creavit medicinam et vir prudens non abhorrebit eum. Ambros.: Corpus Christi medicina spiritualis est, quae cum reverentia degustata sibi devotos purificat. Ad cognoscendum rationem necessitatis medicinae corporis Christi sciendum, quod serpens malignus infudit homini per venenum cibi vetiti triplicem corruptionem in anima sc. tenebras ignorantiae, in corpore morbum pravae concupiscentiae et mortem utrobique. Contra hoc institutum est corporis Christi medicamentum tenebras ignorantiae illustrans, morbum concupiscentiae sanans et mortem nostram mortificans. Propter haec tria potest comparari triplici dulci cibo et medicinali, sc. melli propter primum, ficui propter secundum, fructui uvae propter tertium. De primo: Comede fili mel, quoniam bonum est. Mel corpus Christi dulce significat. Hoc bonum est, quia tenebras mentis illuminat. Cf. I. Reg. 14, 29. Is. 7, 22. Ps. 26, 1.; 33, 6. — De secundo: Ficus, ficus bonas, bonas valde. (*Jer*. 24, 3.) Ficus bis dictae dulce Corpus Christi Dei et hominis

significat. Hae bis bonae sunt valde, quia mentem et carnem a morbo pravae concupiscentiae sanant. IV. Reg. 20, 7. — De tertio: Benedictus fructus ventris tui, (Luc. 1, 42.) corpus sc. Christi, quod est fructus vitae, valens ad destructionem gehennae et acquisitionem vitae aeternae. Lignum vitae est his, qui apprehenderint eam. (*Prov.* 3, 18.) Hinc dicitur Os. 13, 14: Ero mors tua o mors. Hilarius: Accepta carne Domini et hausto sanguine id efficitur, ut nos in ipso et ipse in nobis sit. Haec est ergo causa vitae nostrae, quod in nobis carnalibus per carnem Christi, qui vere vita est, manentem habemus, victuri per eum ea conditione, qua vivit ipse per patrem, qui in eo est.

CAPUT II.

De prima causa institutionis per se: memoria Salvatoris et de praeparatione ad judicium.

Prima causa institutionis sacramenti dominici Corporis est memoria Salvatoris, circa quam tria possunt quaeri. *Primo* quid mali sequitur, si memoria Domini fuerit relicta. Et dicendum quod triplex: sc. amissio gratiae divinae, subjectio potestatis diabolicae, magna deformitas culpae. — De primo: Eris deserta, quia oblita es Dei creatoris tui. (*Js.* 17, 20.) Cf. Deut. 22, 18. Eccl. 20, 13. — De secundo: Obliti sunt Dei sui et tradidit eos in manus Sisarae, i. e. potestati diaboli. (*Jud.* 3, 7.) Cf. Tob. 6, 17. — De tertio: Sicut non probaverunt, i. e. noluerunt Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum, ut faciant ea, quae

non conveniunt. (*Rom.* 1, 18.) Et heu hoc saepe fit usque ad mortem.

Secundo quaeritur, de quibus de nostro Salvatore memoria sit habenda. — Et dicendum de tribus: de praeterito, de praesenti, de futuro. De praeterito, ut nostri redemptoris; quia propter nimiam caritatem a morte mala, morte sua liberavit nos. De praesenti, ut omnium inspectoris: quia per occultam praesentiam omnia nostra semper cernit. De futuro, ut justi judicis, qui per omnipotentiam suam omne pravum in correctum districte judicabit. — De primo: Signa Thau super frontes virorum dolentium et gementium super cunctis abominationibus, quae fiunt in civitate hac. (*Ez.* 9, 4.) Thau figuram crucis habet, i. e. passionis Christi, quae semper est bonis in mente ferenda. — De secundo: Opera omnis carnis coram Domino et non est quicquam absconditum ab oculis ejus. (*Eccl.* 39, 24.) — De tertio: Ecce nomen Domini, venit de longinquo, ardens furor ejus et gravis ad portandum. (*Is.* 30, 27.) — Hier.: Sive comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper intonat in auribus meis, quasi tuba vehemens, vox illa terribilis: Surgite mortui, venite ad judicium. De omnibus tribus simul: Memoriam fecit mirabilium suorum (*Ps.* 120, 3.); quasi diceret: Dominus dedit nobis escam, sc. seipsum ad memoriam suorum mirabilium praeteritorum, quod nos redemit, praesentium, quod omnia nostra respicit, futurorum, quod stricte tandem judicabit.

Tertio quaeritur, quid valeat memoria nostri Salvatoris. Dicendum ad tria: Primae enim rei memoria sc. passionis Christi valet ad cor nostrum ejus amore inflammandum. Secundae rei, i. e. ejus continuae

inspectionis valet ad nos a peccato custodiendum. Tertiae rei, sc. districti judicis valet ad excitandum nos, ut praeparemur contra futurum judicium. Primum facit nos bonum diligere, secundum malum odire, tertium imminens periculum praecavere. — De primo: Concaluit cor meum intra me. (*Ps.* 38, 4.) Bernard.: Super omnia te mihi reddit amabilem, Jesu bone, calix, quem bibisti, opus redemptionis meae. Quanto pro me Dominus factus est vilior, tanto mihi factus est carior. — De secundo: Timor Domini odit malum. (*Prov.* 8, 13.; *cf. Eccl.* 23, 25; *Ex.* 8, 12.) Boët.: Magno nobis indicta est necessitas bene vivendi cum agamus omnia ante oculus judicis cuncta cernentis. — De tertio: Sanctifica populum et sint parati in diem tertium: die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe; (*Exod.* 19, 10.) quasi diceret: Mementote, quia Dominus terribilis descendet ad districtum judicium et ideo estote parati in diem tertium. Primus dies est dies nostrae nativitatis, secundus nostrae conversationis, tertius dies mortis vel adventus districti judicii.

In praeparatione ad judicium debent tria notari; sc. modus, providentia non praeparatorum poenam evadere, lucrum cum praeparatis vitam aeternam possidere. — De primo: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum. (*Matth.* 3, 2.; *cf. Eccl.* 18, 19.; *Joel* 2, 11.) — De secundo; Si sciret paterfamilias etc. (*Luc.* 12, 39.; *cf. Apoc.* 18, 4.) — De tertio: Cum fatuae virgines, i. e. animae non paratae irent emere ad forum diaboli cum Eva vel cum Dina, ubi pro modica se dant multa bona, venit sponsus et quae paratae erant (*Matth.* 25, 10.) etc. — Ecce triplex lucrum praeparationis ad judicium sc. possessio

coelestis regni, societas amabilis sponsi, deliciae totius boni. Primum notatur ibi: intraverunt; secundum ibi: cum eo; tertium ibi: ad nuptias. — De primo: Venite benedicti patris mei. (*Matth.* 25, 24.) De secundo: semper cum Domino erimus. (*Joan.* 17, 24.) De tertio: Gaudete cum Hierusalem, i. e. cum beatorum omnium pacifica et jucunda societate, ut repleamini ab uberibus consolationis ejus. (*Is.* 66, 10.)

CAPUT III.

De secunda causa institutionis Sacramenti Eucharistiae sc. sacrificio Altaris.

Secunda causa institutionis Sacramenti dominici corporis est *sacrificium Altaris.* Circa quod sacrificium notantur tria: forma offerendi, quaestio de sacrificio legali et excellentia nostri sacrificii. De duobus primis hic potest dici, de tertio in sequenti.

Primo notatur forma et haec est triplex: prima in oblationum veterum praefiguratione, secunda in humanae formae veritate, tertia in panis et vini specie. Prima est synagogae commendata sub lege; secunda caritatis divinae oblata in cruce, tertia fidelis animae consecrata in mensa ecclesiae. Prima data est in signum, secunda in pretium, tertia in solatium. — De prima: Si omnis Israel per ignorantiam peccaverit, offerat pro peccato suo vitulum, i. e. Christum. (*Lev.* 4, 2.) Hoc autem non erat in persona sed in figura. Similiter agnus immaculatus, quem occidebant in Pascha et ejus carnes edebant, figura Christi erat, ut dicit Greg.

De secunda forma: Sicut ovis ad occisionem ductus, vulneratus est; oblatus est, quia ipse voluit. (*Is*. 53, 7.) Hoc vere secundum formam humanam in cruce. Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel (*Hebr*. 10, 14.) sc. in cruce. — De tertia: tu es sacerdos in aeternum, (*Ps*. 109. 5.) qui obtulit panem et vinum: sic Christus dat corpus et sanguinem suum in sacrificium Altaris sub panis et vini specie. (*Cf. Matth*. 26, 26.)

Secundo notatur brevis quaestio de sacrificio legali, in qua tria fiunt: Primo, contra insufficientiam quae imponitur sacrificiis legalibus, opponitur; secundo contrarietas solvitur, tertio causa illius sacrificii assignatur. Primo contra insufficientiam, quod Deo non placuerunt et quod peccata non abstulerunt secundum illud: Holocausta vestra non sunt accepta, victimae vestrae non placuerunt mihi; (*Jer*. 6, 20.) et contra his similia opponitur: Si peccaverit autem quis de populo terrae, offeret capram immaculatam et adolebit eum sacerdos super altare in odorem suavitatis Domino et dimittetur ei. (*Lev*. 4, 27.) Ergo videtur, quod vetus sacrificium placuerit Deo et propter hoc peccata dimisit. Omnia pene sanguine mundantur secundum legem et per sanguinem animalium sacrificatorum remittuntur peccata delinquentium. (*Hebr*. 9, 22.) Ergo illa sacrificia Deo placuerunt et peccata dimiserunt. — Horum contrietas sic potest solvi: In sacrificio semper tria fuerunt, sc. ipsum sacrificium, personae offerentium, peccatorum remissio. In singulis istorum duo attendebantur in sacrificio: caro et sanguis animalis quod offerebatur. Et praeterea multo melius, sc. res spiritualis, quae ibi figurabatur, ut in agno vel vitulo

Christus, in capra poenitentia, in bove vita robusta et activa, in avis sublimis et contemplativa et sic de caeteris. Item personae offerentium duae sunt species, aliae dignae, aliae indignae. Indigni erant, qui illa sacrificia tantum carnaliter attendebant: digni autem, qui ea spiritualiter attendebant et in eis Christum figuratum vel explicite vel implicite credebant et secundum intellectum spiritualem vitam suam regebant. Item ibi erat remissio peccatorum et hoc quantum ad duo, sc. quantum ad poenam i. e. quantum ad legis irregularitatem; vel quantum ad culpam i. e. quantum ad conscientiae maculam.

His visis facile solvuntur, quae de sacrificiis in scripturis sacris contraria dici videntur. Revera enim illa sacrificia secundum se sc. opera operata i. e. carnes et sanguis hircorum nec placuerunt Deo nec propter ea remisit culpam quantum ad culpam i. e. conscientiae maculam, sed tamen apud homines remissa reputabantur quantum ad quandam legis poenam. Unde cum Apostolus uno loco dicat: Impossibile est sanguine hircorum auferri peccata (*Hebr.* 10, 4,); et in alio: Omnia pene in sanguine mundantur secundum legem (*Hebr.* 9. 22.), primum intelligendum est quantum ad animae culpam; secundum quantum ad carnis poenam. Unde ad Hebr. 9, 13: sanguis hircorum et vitulorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Glossa: sanctificat, i. e. a peccato mundat i. e. a poena legis, ad emundationem valent non animae sed carnis. Verumtamen justorum sacrificia non secundum se, ut dictum est, sed propter fidem Salvatoris, quem in illis venturum et pro redemptione mundi credebant, Deo placebant et eis remissio pecca-

torum quantum ad poenam supradictam et quantum ad culpam animae valebant. Ex operibus legis non justificabitur homo nisi per fidem Jesu Christi. (*Gal.* 2, 16.) Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Domino (*Hebr.* 11, 4.): plurimam i. e. acceptabiliorem et plus sibi valentem. Intellexit enim et credidit in agno, quem Deo obtulit, hostiam meliorem i. e. Salvatorem, quod non Cain et caeteri indigni. Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus. (*Gen.* 4, 4.)

Tertio: causa institutionis legalium sacrificiorum est assignanda. Cum enim a Deo instituta sint, qui nihil sine causa fecit et tamen mutanda erant, quaeri potest causa insitutionis eorum. Ad hoc breviter dicendum, quod licet per se non valuerant ad remissionem culpae, tamen multum utilia fuerunt ad doctrinam sapientiae. Data sunt quippe servis ad tempus tanquam signa rerum meliorum et quasi parvulis tanquam characteres librorum, in quorum proprietatibus et modulis offerendi proficerent in disciplina verae fidei, ut adepta vera scientia, deficerent elementa et collata veritate, cessarent umbrae et signa. Ponite verba mea in cordibus vestris et suspendite pro signo in manibus et scribite ea in postibus et januis. (*Deut.* 11, 18.) Ponite in cordibus legalia sc. quantum ad moralia, quae semper sunt servanda; suspendite ea pro signo in manibus, quantum ad manufacta tabernacula, et hujusmodi, quae pro tempore sunt tollenda; scribite in postibus et januis sacrificia sc. oves et boves quasi literas parvulorum, in quibus multa bona sunt dicenda et praecipue sc. fides Salvatoris. Forma de moribus, spes de coelestibus. Primum poterant discere de sa-

crificiis ovium, secundum in sacrificio taurorum, tertium in sacrificio animalium extra castra combustorum. Cum ergo ovis offerebatur, poterant de vera fide discere: Salvatoris innocentiam, mansuetudinem humani generis, per mortem Christi redemptionem. Cum cornuta animalia in holocaustum i. e. per ardorem ignis in cinerem redigenda offerebantur, poterant de bonis moribus discere: ut daemonibus et vitiis resisterent, Dei et proximi amore arderent, cordis et corporis humilitatem in omnibus conservarent. In sacrificio animalium extra castra combustorum tria poterant discere de spe obtinendae coelestis gloriae: quae sunt poenitentia viventium, Salvatoris officium, bonorum suffragium. Corpora extra castra cremare est fideles extra delicias et voluptates saeculi poenitentiam agere. Quod sanguis inferebatur per pontificem in sancta sanctorum, hoc est: animas justorum post hanc vitam beneficio Christi in coelum assumi. Hic sanguis valuit ad remissionem peccatorum hominum vivorum, hoc est animas bonorum jam per Christum in coelum sublevatas intercedere pro peccatis exulum adhuc in mundo relictorum. De primo: Nam si commortui sumus sc. agendo poenitentiam, et vivemus recipiendo vitam aeternam: si sustinebimus et congregnabimus. (*II. Tim.* 2, 12.) De secundo: Iterum venio et accipiam vos ad me. (*Ioan.* 14, 3.) De tertio: Ego exaudiam coelos et illi exaudient terram (*Ose.* 2, 21.) i. e. sanctorum precibus, qui sunt in coelis, salvantur, qui habitant in terris.

CAPUT IV.

De tertio circa sacrificium notando, sc. sacrificii nostri excellentia.

Sacrificium Corporis Christi praecellit omnia legis sacrificia triplici ratione sc. honestatis, quoad saeculum; dignitatis quoad Deum: virtutis quoad suae bonitatis effectum.

Primo excellit ratione honestatis, quod probatur a tribus: ab exteriori specie, a virginali origine, a spirituali dulcedine. — Primo probatur hujusmodi honestas ab exteriori specie, quia sub nulla alia qualitate cibi posset tam munde, tam pulchre, tam honeste ministrari sicut sub specie panis et vini. Non enim sequuntur hoc inconvenientia multa, quae sequebantur illa cruenta legis sacrificia. Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. (*Prov.* 17, 1.) Buccella sicca est sacrificium nostrum sub mundi specie panis et honesta. — Secundo probatur honestas ejus, quod a nulla corruptione sed a virginali flore sumsit exordium. Flores mei fructus honoris et honestatis; (*Eccl.* 24, 33.) quasi diceret: flores pudicitiae versi sunt in fructum nobilissimae et honestissimae prolis. Aug.: Nobilitas matris est ex deitate prolis, nobilitas prolis ex virginitate matris. — Tertio probatur honestas hujus sacrificii a spirituali dulcedine pietatis, qua cunctos Christianos ad se attrahit. Ut enim dicit Tullius: Honestum est, quod sua vi nos ad se trahit et allicit; ut sc. res virtuosa, maxime vero talis, quae abundat dulcedine pietatis; et

talis res est sacramentum dominici Corporis. — Memoria Josiae in compositione odoris, facta opus pigmentarii. (*Eccl.* 49, 1.) Memoria Josiae est memoriale Salvatoris vel sacrificium Altaris. Hoc factum est opere pigmentarii sc. ex pretiosis operibus divinitatis et humanitatis suae, ut suavissimo honestatis et pietatis odore ad se trahat fideles ecclesiae. Oleum effusum nomen tuum. (*Cant.* 1, 3.) Hinc omnes, qui vere credunt ob spem gratiae et devotionis ad hoc sacrificium videndum et adorandum, ad ecclesiam frequenter et ferventer accurrunt.

Secundo excellit ratione dignitatis, quod probatur a tribus rebus pretiosissimis, ex quibus consistit; sc. ex carne Christi mundissima, anima justissima, deitate altissima. Haec tria in agno paschali figurata sunt, in nostro sacrificio vere perfecta sunt. Caput agni cum pedibus et intestinis vorabitis. (*Exod.* 12, 9.) Caput agni significat deitatem, intestina animam, pedes carnem; ecce in Christo Deus, anima et corpus, propter quod dicitur: Ave salus mundi, deitas integra, verus homo. Ex carne sc. anima propter tantae dignitatis excellentiam habet sacrificium nostrum prae aliis triplicem praerogativam. Deo namque secundum se acceptum est, et angelis reverendum, hominibus adorandum. Primum est propter animam justam, secundum propter carnem mundam, tertium propter divinitatem summam. — De primo Mal. 3, 4.: Placebit Deo sacrificium Judae, i. e. Christi Judae regis. Sacrificium Juda Domino placet, quia corpus Christi oblatum Deus pater approbat, in quo se maxime humiliavit usque ad mortem Patri obediendo, de diabolo triumphando et genus humanum redimendo. Cf. Eccl. 35, 8. — De

secundo Matth. 24, 28.: Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilae. Leo: Circa corpus Domini aquilae sunt, quae spiritualibus alis circumvolant, videlicet angeli sancti, spiritus mundi, munditiam amantes, mundum corpus Domini venerantes, et praesentes fideles protegentes. Gregor.: Quis fidelium dubium habere possit in ipsa hora immolationis coelos aperiri, et in Christi mysterio angelorum adesse choros, summa et ima sociari? — De tertio: Js. 66, 1.: Terra autem scabellum pedum tuorum. Terra scabellum Dei significat carnem Christi, quae originaliter de terra est. Haec est nobis adoranda, quia Deo unita. Aug.: Sciendum, quia in Christo terra i. e. caro sine impietate adoratur. Qui enim terram adorat, non terram intuetur, sed illum potius cujus scabellum est, propter quam adorat. Aug.: Dicunt haeretici: quid est quod carnem illius, quem creaturam non negas, cum divinitate adoras et ei non minus quam divinitati deservis? Respondeo: Dominicam carnem, perfectam humanitatem ideo adoro, quia a divinitate suscepta, et divinitati in unitate personae unita. Si hominem separaveris a Deo, illi non credo nec servio; velut si quis purpuram vel diadema regis per se jacens inveniat, numquam eam adorabit. Cum vero ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si eum cum rege adorare contempserit. Sic etiam in Christo humanitatem non solam, vel nudam sed divinitati unitam sc. unum filium Dei, verum Deum et verum hominem, si quis adorare contempserit, aeternaliter morietur. Alexander papa: Nihil in sacrificiis majus esse potest, quam corpus et sanguis Christi.

Tertio excellit ratione virtutis, i. e. propter effectum suae bonitatis. Habet enim triplicem bonum actum in

triplici statu fidelium: in mundo, in purgatorio, in coelo. In primo statu peccata relaxat; in secundo poenam gravem alleviat, in tertio gaudium magnum generat. Hinc est quod tripliciter Missae celebrari solent pro salute vivorum, pro requie defunctorum, pro gloria beatorum. Unde et hostia in tres partes frangitur, ut virtus sacrificii corporis Domini in praedicto triplici statu demonstretur. — De primo Lev. 5, 7.: Anima, quae peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum i. e. Christum. Unde canitur: Agnus Dei etc. Gregor.: Dominus dedit nobis sacramentum salutis, ut quia quotidie peccamus, et ille jam pro nobis mori non potest, per hoc sacramentum remissionem consequamur. — De secundo: Dedi vobis sanguinem ut super altare meum expietis pro animabus vestris et sanguis pro animae piaculo sit. (*Lev.* 17, 11.) Et ideo caro et sanguis Christi recte pro animabus defunctorum offeruntur, ut a poena purgatorii, quae pro residuo poenitentiae legati sunt, absolvantur. August.: Orationibus et eleemosynis sanctae ecclesiae et sacrificio salutari non est dubium, defunctorum animas relevari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt in hoc mundo. — De tertio: Pectusculum sacrificii quod oblatum est, edetis in loco mundissimo, tu et filii tui et filiae tuae tecum. (*Lev.* 10, 15.) Pectusculum, quod sc. optimum est et dulcissimum animalis, significat dulcedinem corporis Christi, in quantum comeditur in loco mundissimo, i. e. inquantum delectat beatos in coelo, in eo quod plurimum gaudent et congratulantur in hoc sacrificio de memoria redemptoris, de aspectu nostrae salutis, de admiratione divinae bonitatis. Vel certe pectusculum

comedetur in loco mundissimo, quia dulcedine corporis Domini, qua hic pascimur in velamine et sacramento, ea fruuntur beati visione manifesta in coelo. Vincenti dabo manna absconditum; (*Apoc.* 2, 17.) i. e. meipsum, qui sum panis vitae, quod manna: et si tunc manet absconditum, tunc fiet manifestum habens omnis saporis suavitatem. Adimplebis me laetitia cum vultu, satiabor cum apparuerit gloria tua. (*Ps.* 15. 11.)

CAPUT V.

De tertia causa institutionis, quae est cibus hominis.

Circa hoc, quod Dominus corpus suum dat in cibum, triplex potest ratio sapientiae Dei assignari, sc. divinae liberalitatis magnitudo. Cum enim summe sit bonus, summa eum decet liberalitas; sed nulla hac major esse potest. Probatur autem ejus liberalitas in hoc facto quantum ad tria: primo, quantum ad magnificentiam doni: secundo quantum ad nobilitatem dantis, tertio quantum ad utilitatem accipientis.

Primo quantum ad magnificentiam doni, quia largitor omnium bonorum in hoc sacramento dat seipsum et hoc largissime, quia dat proprium corpus in cibum secundum quod dicit Matth. 26, 26.: Accipite et comedite. Hic est summus gradus divinae largitatis quantum ad donum. Hic gradus quidam proponi possunt divinae largitatis, quibus homini largitus est omnia bona sua et sic patebit, quod hoc est summus.

Primus gradus est quod largitus est homini coelum et terram et omnes irrationabiles creaturas ad serviend-

um: Solem et lunam et omnia astra coeli creavit Deus in ministerium cunctis gentibus. (*Deut.* 4, 19.) Cf. Matth. 5. 45. Act. 14. 16.

Secundus gradus est, quod homini largitus est illas nobilissimas creaturas rationabiles et coelestes sc. sanctos angelos ad ministrandum: Angeli eorum semper vident faciem patris. (*Matth.* 8, 10.) Angeli dicuntur, quia unicuique a nativitate datus angelus est ad ministrandum. Hinc leguntur hominibus saepe obsequia impendisse et faciunt quotidie, peccatores convertendo, multos a malis defendendo, justos ad coelos deducendo. Cf. Hebr. 1, 14. Ex. 23, 20.

Tertius gradus est, quod largitus est seipsum. Dedit autem se multis modis: Primo in socium nostrae peregrinationis. Baruch. 3, 37.: Hic etiam Deus noster, qui adinvenit omnem viam disciplinae et tradidit illum Israel dilecto suo et post haec in terra visus est; quasi diceret: Quia Deus fecit homini vias peregrinationis, dans mandata bonae conversationis ne deficiat, et ne via homini videretur gravis nimis, factus est homo Deus, et per hoc socius viae peregrinationis: Iter faciebat Jesus per castella et civitates etc. (*Luc.* 8. 1.) Et vere bonus se dedit in bonum socium, quia socios viae lassos optimis verbis confortavit, in periculis liberavit, infirmos curavit, mortuos suscitavit.

Quartus gradus est, quod dedit se in servum nostrae necessitatis: Exinanivit semetipsum formam servi accipiens; (*Phil.* 2, 7.) hinc sitientes potavit, esurientes pavit, discipulorum pedes lavit: Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. (*Luc.* 22, 28.)

Quintus gradus est, quod dedit se in pretium redemptionis nostrae: Filius hominis venit dare animam

suam in redemptionem pro multis. (*Matth.* 20, 28.) Cf. Ephes. 5, 2.

Sextus gradus est summus, quod dat homini corpus suum in cibum: Ego quasi nutricius Ephraim et declinavi ad eum, ut vesceretur. (*Ose.* 11, 3.) Panis quem ego dabo. (*Joan.* 6, 52.) Gregor: Bonus pastor, Dominus, animam pro ovibus posuit, ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret et oves, quas redemerat, carnis suae alimento satiaret. Et in hoc est expressio summae largitatis et praecipui amoris. Magnum est enim: dare se in socium peregrinationis et in servum necessitatis, majus: in pretium redemptionis; tamen tale donum adhuc est in aliqua separatione ab eo cui datur; sed cum datur in cibum, datur non ad separationem aliquam, sed ad omnimodam unionem. Uniuntur enim in unitate corporis cibus et sumens: Qui manducat meam carnem in me manet. (*Joan.* 6, 57.) Et sic apparet in tali dono summa largitas divinae bonitatis.

Secundo probatur excellens liberalitas Dei in hoc facto, quantum ad nobilitatem dantis, quae tam excellens est in hoc sacramento, ut corpus suum largiatur large et diffuse, quia non solum dat illud dignis et amicis, sed non subtrahit indignis, malignis et inimicis: Appropriant super me nocentes, ut edant. (*Ps.* 26, 2.) Qui enim se permisit manibus malignorum semel crucifigi, permittit se sceleratorum manibus tractari et inimicorum et immundorum dentibus in sacramento lacerari. Hinc hosti et traditori suo Judae in coena cum aliis dicitur corpus suum dedisse. Veritatem enim praesentiae suae ad instar solis oriri facit super bonos et malos, exhibens se in hoc sacramento

dignis et indignis, licet non ab omnibus effectus suscipiatur aequalis. Nam dignus effectus bonitatis Dei suscipit, indignus severitatis exemplum de sole et oculo aegro et sano. Nota: quod magnum est dare magna dona proximis et amicis, majus: dare servis et ancillis, maximum: ignotis et peregrinis; sed nimis: inimicis. Unde arguuntur de magna ingratitudine: Quare me persequimini sicut Deus, et carnibus meis saturamini? (*Job* 19, 22.)

Tertio probatur, quantum ad utilitatem suscipientis, quia in hoc sacramento digne suscipiens efficitur deiformis i. e. per gratiam bonitatis sive per imaginationem imitationis Deo quodammodo similis. Ambros.: Quia Dominus Jesus consors est divinitatis et corporis, et tu, qui accipis carnem ejus, divinae ejus substantiae in illo participas alimento, divina substantia bonitas est. In hoc ergo alimento divinae substantiae participare, est assimilari per gratiam divinae bonitati. Qui bonus est, hauriet sibi gratiam a Domino. (*Prov.* 12, 2.) Gratia vero est influentia divinae bonitatis in animam, per quam assimilata Deo fit ei grata et vitae aeternae digna. Non enim sufficit liberalitati divinae, quod in sacramento vel in cibo intellectum illuminat, quod affectum sanat, quod memoriam delectat, quod totum hominem in bono confortat et corpori suo mystico associat, quin insuper Deo assimilet in praesenti per gratiam et in futuro per gloriam. Non enim potest ulterius promoveri.

CAPUT VI.

De duabus aliis rationibus, quibus datur corpus Christi in cibum.

Secunda ratio, quare Dominus corpus suum dat in cibum, est humanae naturae corruptio, quae hujusmodi cibi exigebat medicamentum et hoc quantum ad tria:

Primo ad congruam curationis inchoationem, quia sicut initium corruptionis et mortis coepit a cibo vetito sc. a ligno scientiae boni et mali, sic initium justificationis et vitae incipere debuit a cibo sc. ligno vitae i. e. a corpore dominico. — De primo: De ligno scientiae etc. (*Gen.* 2, 17.) De secundo: Nisi manducaveritis carnem filii hominis. (*Joan.* 6, 54.)

Secundo exigebat talem cibum quantum ad integram corruptionis curationem. Serpens enim malignus infudit homini per venenum pomi vetiti triplicem corruptionem: in anima tenebras ignorantiae, in carne morbum pravae concupiscentiae et mortem in utroque. Serpens decepit me. (*Gen.* 3, 13.) De primo: Tenebrae, i. e. ignorantiae erant super faciem abyssi, i. e. humani cordis ex diaboli deceptione. (*Gen.* 1, 2.) De secundo: Caro concupiscit adversus spiritum. (*Gal.* 5, 17.) De tertio: Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. (*Sap.* 2. 22.) Aug.: Si angelus de proprio ruens paradiso non esset auditus, non praecipitaremur in mortem; sed venit de coelo lapsus serpens foris et emisit venenum de proprio, locutus est de suo: gustate et eritis sicut dii et illi appetentes quod non erant, amiserunt quod acceperant sc. vim intellectivam, vitae justitiam, non moriendi possibilitatem. Quia ergo per

cibum venenosum triplicem infudit corruptionem, necesse fuit, ut ad integram curationem medicus i. e. salvator noster cibum medicinalem contra haec tria daret: et hoc est corpus suum, quod pio recipientium ignorantiae tenebras illuminat, morbum pravae concupiscentiae sanat et mortem destruendo triumphat.

Tertio exigebat talem cibum quantum ad firmam sanitatis conservationem. Quidam enim ad tempus de peccatis compunguntur et quodammodo curantur sed tempore tentationis per recidivum iterum corrumpuntur. (Ps. 37, 5.) Ad conservationem autem sanitatis animae et incorruptionis bonae vitae valet cibus ille. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi. (*Cant.* 1, 12.) Sicut enim myrrha incorrupta servat corpora, sic corpus Domini pie sumtum corda.

Tertia ratio sapientiae Dei, qua Dominus dat homini corpus suum in cibum est humanae naturae conditio, quae rationalis creata est et corpori conjuncta. Rationalis autem creatura potest tribus modis considerari et secundum hoc indiget triplici cibo.

Primo modo consideratur secundum quod est incorporea et pure spiritualis ut natura angelica; hoc modo creatura exigit alimentum, per quod vivat et subsistat sc. verbum Dei aeternum secundum se incorporeum, quod est aeterna Dei sapientia: Ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. (*Prov.* 3, 18.)

Secundo modo considerata rationalis creatura ut est corpori conjuncta sicut dissimilis dissimili, spiritus carni, pretiosum vili secundum conditionem utriusque naturae indiget pro utroque cibo convenienti sibi, sed dissimili, quia spiritus spirituali ad modum angeli, cor-

pus corporali ad modum bruti: Non in solo pane etc. (*Matth*. 4, 4.) August.: Sicut anima vita est corporis, sed non vivificat sine cibo corporali: ita Deus vita est animae, sed non vivificat illam sine cibo spirituali i. e. sine verbo Dei. Et sic haec et illa natura hominis sibi dissimilis, dissimilem cibum habuerunt et alio modo et longe ab invicem comederunt, nec cibus corporis congruebat spiritui, nec cibus spiritus corpori. —

Tertio modo; considerata rationalis creatura secundum quod illae duae naturae i. e. corpus et anima sunt in singulis personis hominum familiari societate et miro amore conjunctae, tunc exigitur ad aeternam salvationem utrorumque unus cibus toti homini i. e. utrique naturae conveniens, spiritualis simul et corporalis, sc.: Verbum caro factum, quem simul sub quodam sacramento comedant, cujus virtute anima de praesenti miseria ad vitam aeternae beatitudinis perveniat, et corpus ad modicum tempus servetur in terra, ut tandem gloriose resurgat. De hoc cibo Joan. (6, 56.): Caro mea, i. e. caro Dei, caro humana unita Dei verbo, vere est cibus sc. totius hominis, valens animae et corpori. Eccli. 1, 8.: Unus est Altissimus creator omnium, ipse creavit sapientiam spiritu suo et secundum datum suum praebet illam diligentibus se; i. e. virtute sua creaturam carnis de Virgine sumsit et sapientiae suae univit et secundum liberalitatem suam praebet illum in cibum fidelibus, ut prosit corpori et animae. De hoc convivio corporis et animae Is. (11, 7.): Vitulus et ursus pascentur simul. Vitulus significat corpus, quod in sacrificio Deo est mactandum, ursus spiritum, qui sicut ursus bestiis sic terribilis esse debet bestialibus motibus et moribus. Hi pascentur simul vero

cibo, i. e. carne Christi, ut prosit animae et corpori. Joan. 6, 55. Qui manducat meam carnem etc.

Secundum principale, quod Corpus sit velatum in hoc sacramento.

CAPUT VII.

De forma donationis, videlicet qua ex causa detur velatum hoc Sacramentum.

Secundum principaliter circa sacramentum dominicum notandum est forma donationis et circa hanc tria sunt consideranda. Primum, quod Dominus corpus suum dat velatum, secundum quod dat velatum sub specie panis, tertium quod dat velatum sub specie panis tritici. Circa primum sciendum, quod datur velatum non nudum secundum illud Apocal. 2, 17.: dabo manna absconditum quasi cibum coelestem velatum. Sed quia hic humanus sensus haesitat et miratur cum aliud videtur, hujus velaminis quadruplex est ratio.

Prima est indignitas malorum, quae exigit ut veletur: sicut aeger oculos, ut sibi sol et quodlibet lumen tegatur: et in hoc benignissime agit cum eis misericordia salvatoris; si pravi nudum aspicerent et hoc a fidelibus manducari, ex ipso aspectu scandalizarentur et tripliciter male perirent: videlicet in corde per horrorem, in ore per detractionem, in anima per spiritualem mortem. — De primo Ambrosius: Forte dices: quomodo verus sanguis? quia similitudinem non vides carnis. Attende verba Christi: Audientes quod carnem

suam daret manducare, multi discipulorum ejus abierunt retro, solus Petrus dixit: Verba vitae aeternae habes, ad quem ibimus? (*Joan.* 6, 69.) Ne ergo plures scandalizarentur, et velut quidam esset horror humanae carnis, sed magis maneat gloria redemtoris, ideo in similitudine accipis sacramentum, sed verae naturae gloriam virtutemque consequeris. — De secundo: Litigabunt ideo Judaei (eod. l.); litigatio haec murmur et detractio est, et ideo debuit velari. — De tertio: Percussit Dominus multos eo quod vidissent arcam Domini, quia sc. non licebat eis videre eam detectam. Arca significat corpus Christi, quod malignis est velandum ne spiritualiter moriantur, si videant quia causa suae caecitatis putarent esse quid phantasticum.

Secunda ratio, quare velatum datur, est fides bonorum et haec ratio potest in tria distingui, quae exigunt hoc velari, sc. fidei esse verum, infidelitatis pravae remedium, fidei meritum.

Primo fidei esse verum exigit, ut velatum detur corpus Christi: Fides est rerum non apparentium (*Hebr.* 10, 1.) Aug.: Fides est, credere quod non vides, credere verbis de re occulta, quae vere est et tamen eam oculis non vides. Nam de re, quam videmus, scientiam potius quam fidem habemus: Christus est, in quem videntes creditis. (*I. Petr.* 1, 8.)

Secundo infidelitatis remedium exigit, ut velatur corpus Christi, quatenus culpae infidelitatis respondeat modus congruus satisfactionis. Unde sicut primorum parentum incredulitas incepit ex auditu verbi diaboli suadentis, cibum habentem mortem velatam et in eo sunt sensus eorum vane delectati: sic congruit, ut fides salvandorum incipiat ex auditu verbi Salvatoris, sua-

dentis cibum habentem veram vitam absconditam, et in quo nostri sensus pie sunt decepti praeter auditum; ut sit fides ex auditu tantum, et non ex visu vel aliis sensibus; auditus autem per verbum Christi. — Infidelitatis ergo remedium exigit, quod corpus Christi velatum detur, ut quia sensus primi hominis in cibo perditionis vane delectabantur, sensus nostri corporis in cibo benedictionis ad instar Isaac decipiatur, ita tamen quod Rebecca, i. e. anima in fide sua non fallatur. Credit enim vere in benedictione sacra esse Jacob i. e. corpus Christi velatum similitudine Esau, i. e. specie panis.

Tertio fidei meritum exigit, ut veletur corpus Christi, quia dicit Gregor.: Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum, supple sufficiens. Velatum dare voluit Dominus corpus suum, quia in hoc potius credere verbis suis quam sensibus nostris magnum habet meritum. Beati, qui non viderunt. (*Joan.* 20, 29.) Hujus meritum fidei sive fructus triplex est, sc. spiritualium bonorum plena copia: det tibi Deus de rore coeli (*Gen.* 27); temporalium abundantia: de pinguedine terrae abundantiam (*ib.*); aeternorum supereffluentia: Credentes in Christum, quem non videtis, exultabitis laetitia inenarrabili et glorificata. (*I. Petr.* 1, 8.)

CAPUT VIII.

De duabus aliis rationibus cur corpus Christi detur velatum.

Tertia ratio, quare corpus suum dat velatum est instructio morum. Trahitur sapientia de occultis. (*Job*

28, 18.) Tria vero in hoc sacramento occultantur, in quibus mores instruuntur: persona Salvatoris, pulchritudo magnae caritatis, mirum opus omnipotentis. De primo Is. 45, 15.: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. De secundo Is. 8, 17.: Exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam. De tertio Eccl. 43, 36.: Multa abscondita sunt majora his, pauca enim videmus. In his discimus in nobis quandoque tria virtuose abscondi posse: nostram personam, pulchritudinem corporalem, bonorum operum intentionem.

Primo discit justus abscondere personam a persecutorum furore propter tria: ut persecutor quiescat: Vade popule meus abscondere modicum donec pertranseat indignatio mea in persecutore (*Is*. 26, 20.); ut praeceptum a Domino opus perficiat: II. Cor. 11, 32. etc. et ut gloriosiorem coronam acquirat: Cum fugeret David a facie Saul, absconditus est in colle i. e. in Domino, ut per inclyta opera gloriosi regni ei restaret corona.

Secundo discit justus abscondere pulchritudinem corporalem ab omnium inspectione, quia exterior pulchritudo et ornatus multis fuit occasio casus. Decor ergo corporalis absconditur per habitus vilitatem: Mulier debet habere velamen super caput propter angelos i. e. bonos I. Cor. 11, 10.: per jejunniorum austeritatem: Mihi mundus crucifixus est et ego mundo (*Gal*. 6, 14.); et per boni operis assiduitatem: jugum et lorum curvant collum durum et servum inclinant operationes assiduae. (*Eccl*. 27, 33.) Sol effectus ardoris i. e. opus amoris, Christus formam servi accepit, in qua claritatem divinitatis abscondit.

Tertio discit justus abscondere virtutum et bonorum

operum intentionem ab humano favore. Gregor.: Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: ut de bono opere proximis praebeamus exemplum tamen per intentionem, qua soli Deo placere cupimus, semper optemus secretum. Triplex vero bonum praecipue debemus abscondere a favore hominum; sc. eleemosynam: Cum facis eleemosynam, noli tubam canere ante te (*Matth*. 6, 2.); orationem: Et cum oraveris, intra in cubiculum etc. (*Matth*. 6, 6.): et jejunium: cum jejunas unge caput tuum. *(ib.)*

Quarto datur velatum ratione imbecillitatis nostrae. Hoc enim exigebat imbecillitas hominum, quod probatur tribus modis: Primo a figura legali: Videntes filii Israel ex consortio Domini cornutam faciem Moysi, timuerunt prope accedere; unde posuit velamen super faciem suam, quando loquebatur ad eos (*Ex*. 34, 29.); sic nimirum imo multo magis corpus Christi in resurrectione ejus glorificatum et spirituale ac deiforme factum, nullus potest mortalibus inspicere oculis, nisi alia specie velatum. — Secundo probatur ex hoc quod accidit matri Dei Mariae, quae non potuit sustinere claritatem praesentiae Filii et gloriam nisi esset obumbrata. Carne autem virginis velata, majestas Spiritus sancta operatione facta est passibilis a Virgine et etiam a nobis videri. Sed carne illa, post passionem per resurrectionem glorificata et ad similitudinem Dei clarificata secundum illud: Clarifica me Pater (*Joan*. 1, 14.), facta est impassibilis ab oculis mortalium in propria forma nuda videri, nisi esset velata aliqua specie visibili. Non videbit me homo et vivet. (*Ex*. 33, 20.) Videmus nunc per speculum sc. rationis et in aenigmate sc. figura panis. — Tertio probatur idem ratione

naturali, quae est nimia dissimilitudo inter luminis nostri claritatem et luminis corporis Christi. Oculus enim noster angustus et aeger et corruptibilis est. Illius vero claritas incorruptibilis et quodammodo immensa, ut dictum est de informis. Haec est enim ratio visibilitatis omnis luminis: similitudo aliqua videntis ad lumen; et quanto major similitudo ad lumen maximum, tanto limpidior et dulcior est visio. Hinc est, quod sanus oculus potest aliquatenus videre nudum corpus solis et non corpus Christi, quia cum illo habet aliqualem similitudinem luminis et corruptibilitatis, quam non habet corpus Christi. Nisi enim oculus ex aliqua parte coelesti lumini similis esset:, nequaquam illud videre posset; sicut nec auris nec digitus aut etiam oculus caecus, sc. propter nimiam dissimilitudinem. Quia ergo ob nostram imbecillitatem et corporis Christi nimiam claritatem magnificatam et usque ad incorruptionem roboratam non possumus videre dulciter oculo ad oculum dominici corporis claritatem, saltem oculo mentali i. e. pura cordis intentione ipsum debemus respicere secundum illud: si oculus tuus simplex fuerit i. e. intentio cordis pura, totum corpus tuum lucidum erit ad videndam claritatem Christi. (*I. Joan*. 3, 2.) Sed hoc nobis, o anima, servatur in posterum cum videbimus eum a facie ad faciem: et haec visio erit vita aeterna.

CAPUT IX.

De forma donationis, quae datur sub specie panis propter tria.

Dominus dat corpus suum sub specie panis propter tria: Propter collatam ei prae ceteris cibis habilitatem; sub una enim alia specie cibi tam respectu ministrantium, quam accipientium posset actus exhiberi. Et hoc triplici consideratione. Primo sc. quantum ad inventionem habilior est species panis quam cibi alterius, quia omni loco, omni tempore facilius invenitur quam alius cibus. Item quantum ad conservationem habilior est, quia si debet levari, portari, sive custodiri, commodius fit sub specie panis quam cibi alterius. Item quantum ad administrationem habilior est, quia mundius et honestius tractari potest, in altari melius dividi, convenientius a sanis et infirmis sumi potest, quam alius cibus.

Secundo dat sub specie panis propter faciendam signationis suae cognitionem et fidem. Aug.: Signum est res praeter speciem, quam ingerit sensibus aliquod aliud ex se faciens in agnitionem venire. Signorum autem tria sunt genera: naturale, artificiale, sacramentale. Signum naturale secundum naturam significat, sicut fumus significat ignem; signum artificiale secundum impositionem hominis significat et hoc est duplex: Aliud enim non continet, quod significat, ut circulus vini. Aliud continet, quod significat, ut pluviarium continet pluvias et significat eas, pastillum significat carnes et continet. Signa sacramentalia secundum im-

positionem Dei significant et sunt similiter duplicia: Alia enim non continent, quod significant ut sacramenta legalia: sicut serpens aeneus erectus in eremo significabat quidem Salvatorem sed non continebat eum; similiter agnus paschalis et circumcisio significabant rem figuratam, sed non continebant, quia secundum se non justificabant. Item alia sunt signa sacramentalia, quae etiam continent, quod significant: ut sacramenta evangelica, sicut baptismus et Eucharistia. Baptismus e. g. significat animae purificationem et continet eam, quia efficit, quod figurat, sc. remissionem peccatorum. Similiter Sacramentum Altaris significat vere corpus Christi et vere continet illud, quia post consecrationem panis sub specie i. e. sub illo signo panis, quod Deus posuit ad significandum corpus Domini, Christus est absconditus. Filius hominis dabit vobis panem, qui permanet in vitam aeternam. (*Joan.* 6, 27.) Hunc panem significavit Deus: Igitur, si cum video signum positivum hominis, credo ibi sub tenui pane esse carnes, multo magis cum video signum positivum Dei ut sacramentum Altaris, credere debeo, ibi sub specie panis esse verum corpus Christi propter rerum ibi significatarum similitudinem.

Tres enim res significantur sub specie panis in Eucharistia, expressam habens in se illarum similitudinem. Prima res ibi significata est naturale corpus Domini, quod ibi continetur; secunda res corpus ejus mysticum, quod ibi significatur et non continetur; tertia res est effectus sacramenti in anima fideli.

Primo species panis similitudinem habet veri corporis Christi non ratione sui sed ratione subjecti, quod

habuit ante consecrationem, i. e. panis, qui prius fuit. Sicut enim ex pluribus et puris granis conficitur, sic corpus Christi ex pluribus membris puris et immaculatis consistit: Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. (*Cant.* 7, 2.)

Secundo, species panis secundae rei ibi significatae tenet similitudinem i. e. mystici corporis Christi significati sc. ecclesiae, quae est unitas fidelium. Sicut enim ex multis granis puris conficitur unus panis, sic ex multis fidelibus puris, a culpa mortali mundis et vinculo caritatis unitis ecclesiastica unitas consistit. — Hic est notandum, quod in pane triplex unio attenditur, per quam triplex fraternitas sive causa et vinculum amoris, quod inter fideles esse debet, significatur. Primo grana nobilia et similia colliguntur: haec significant fraternitatem et amorem naturalem, quia omnes de uno et primo parente sumus nati: Omnis homo diligit proximum suum. (*Eccl.* 13, 19.) Secundo farina conspergitur per aquam et pasta conficitur, quod significat amorem sacramentalem, quia uno sacramento baptismali sumus regenerati. Tertio, ut panis solidus fiat, igne decoquitur; quod significat amorem spiritualem, quia uno spiritu, sc. ad unam christianam religionem sumus congregati.

Tertio, species panis secundum quod erat panis habet in se similitudinem tertiae rei ibi signatae, i. e. effectus Sacramenti in animo fideli. Sicut enim panis confortat, satiat et vitam conservat: sic panis sacramenti animam fidelem confortat ad peccatum dimittendum, satiat ad fastidium mundi faciendum, in vita conservat ad Deum semper laudandum. Panis cor hominis confirmat (*Ps.* 103, 17.): pane coeli saturavit

eos (*Ps*. 104, 40.); panis egentium vita pauperum est. (*Eccl*. 34, 25.)

CAPUT X.

De forma donationis quae datur sub specie panis triticei propter tria.

Circa formam donationis corporis considerandum est, quod Dominus dat illud sub specie panis triticei et non alterius et hoc propter tria :

Primo, propter hujus grani prae ceteris nobilitatem, quod probatur a tribus: primo, quod hoc granum est purissimum, i. e. haec species sola inter alias attingit complementum sc. summam puritatem; nam quemadmodum omne metallum purgatione materiae in aurum dicitur transmutari, sic etiam videmus de granis, quod bonitati terrae purgatur siligo et in triticum nobilitatur. Secundo granum tritici est ad panem communissimum, qui competit sanis et infirmis, imo omni animali panem comedenti. Tertio est ad carnem maxime nutriticum, quia puritate naturali et competibilitate communi et viscositate sui maxime membris adhaeret nutrimentum exinde sumtum, et quoad haec tria maxime nutrit et confortat. Et sic panis triticeus et purus et granum ejus praecipue nobilitatis propter communis convenientiae nobilitatem. Et hac ratione congruum est, ut nobilissimum corpus quasi nobilissimus panis filiorum Dei detur filiis sub specie nobilissimi panis.

Secundo dat corpus suum sub specie panis triticei

propter fidelium discretam in eo significationem. Sicut enim triticum secundum triplicem statum habet considerari, sic fidelium universitas in tres status solet distingui. Tertium autem consideratur secundum quod stat in agris, vel secundum quod grana separantur a paleis, vel secundum quod jam purgata locantur in granariis. Similiter inter fideles tres differentiae sunt, incipientium, proficientium, perfectorum. Primi significantur per triticum stans in agris, secundi per grana, quae purgantur a paleis, tertii per grana purgata, quae locantur in granariis. Primi desiderant doctrinam praedicatorum, secundi sequentem purgationem, tertii aeternam requiem beatorum. — De primo Job 37, 11.: Frumentum desiderat nubes et nubes spargunt lumen suum, quae lustrant cuncta per circuitum. Greg.: Electi sunt frumentum Dei coelestibus horreis recondendi. Frumentum nubes desiderat, quia electus quisque praesentiam sanctorum praedicatorum exoptat; lumen spargunt, quia praedicatores sancti exempla vitae et bene agendo et loquendo dilatant. Nubes autem cuncta per circuitum lustrant, quia praedicationis luce mundi fines illuminant. — De secundo: Judic. 6, 11.: Cum Gedeon excuteret et purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, apparuit ei angelus Domini. Gedeon electum quemque significat, qui cum umbra sanctae crucis rectitudine judicii confessionis virga, quasi cor suum a vitiorum paleis sequestrat, consolatio eum divina contra tentationes daemonum confortat. — De tertio, Luc. 3, 16.: Veniet fortior post me, cujus ventilabrum in manu sua et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Tertio dat corpus suum sub specie panis triticei

propter corporis sui expressam similitudinem. Triticum enim potest considerari tribus aliis modis, sc. ut jacens in acervo, ut cadens in agro, ut panis in complemento. Penes primum modum significat corpus Christi in Virgine conceptum, penes secundum, ut in mundo pro nobis passum; penes tertium ut in coelo glorificatum. In primo mater Christi multum honorificatur, in secundo peccator liberatur, in tertio beatus delectatur. — De primo, Cant. 7, 2.: Venter tuus sicut acervus tritici; venter est corpus beatae Virginis, Luc. 11, 27.: Beatus venter, qui te portavit. — De secundo, Joan. 12, 24.: Nisi granum frumenti etc. Christus enim per mortem suam genus humanum de aeterna morte liberavit. Ex hoc, quod Dominus dicit se granum frumenti, habet ecclesia, quod sub nulla specie alia consecrat corpus Christi. — De tertio, Zach. 9, 17.: Quid bonum ejus et quid pulchrum nisi frumentum electorum? Quia panis pulcherrimus, dulcissimus et nobilissimus est corpus Christi in gloria beatorum. Hinc sciendum, quod beati habebunt in eo triplex donum, omnium deliciarum praeparationem, omnium desideriorum impletionem, omnium bonorum securam et aeternam fruitionem. — De primo: Oculus non vidit etc. I. Cor, 2, 9.; de secundo: Lauda Jerusalem Dominum etc. Ps. 147. et 103.; de tertio: Beatus, qui manducat panem in regno Dei. Luc. 14, 15. Hic comedunt mali cum bonis, ibi erunt mali sub aeterno interdicto et boni in securo et aeterno Christi convivio.

propter fidelium discretam in eo significationem.
cut enim triticum secundum triplicem statum ha
considerari, sic fidelium universitas in tres status s
distingui. Tertium autem consideratur secundum q
stat in agris, vel secundum quod grana separantu
paleis, vel secundum quod jam purgata locantu
granariis. Similiter inter fideles tres differentiae s
incipientium, proficientium, perfectorum. Primi si
ficantur per triticum stans in agris, secundi per gr
quae purgantur a paleis, tertii per grana purgata, q
locantur in granariis. Primi desiderant doctrinam p
dicatorum, secundi sequentem purgationem, tertii
ternam requiem beatorum. — De primo Job 37,
Frumentum desiderat nubes et nubes spargunt lu
suum, quae lustrant cuncta per circuitum. Greg.: El
sunt frumentum Dei coelestibus horreis recondei
Frumentum nubes desiderat, quia electus quisque pr
sentiam sanctorum praedicatorum exoptat; lumen sp
gunt, quia praedicatores sancti exempla vitae et b
agendo et loquendo dilatant. Nubes autem cuncta p
circuitum lustrant, quia praedicationis luce mundi fi
illuminant. — De secundo: Judic. 6, 11.: Cum Ged
excuteret et purgaret frumenta in torculari, ut fug
Madian, apparuit ei ang
quemque significat
tudine judi

propter corporis sui expressam similitudinem. Triticum enim potest considerari tribus aliis modis, sc. ut jacens in acervo, ut cadens in agro, ut panis in complemento. Penes primum modum significat corpus Christi in Virgine conceptum, penes secundum, ut in mundo pro nobis passum; penes tertium ut in coelo glorificatum. In primo mater Christi multum honorificatur, in secundo peccator liberatur, in tertio beatus delectatur. — De primo, Cant. 7, 2.: Venter tuus sicut acervus tritici; venter est corpus beatae Virginis, Luc. 11, 27.: Beatus venter, qui te portavit. — De secundo, Joan. 12, 24.: Nisi granum frumenti etc. Christus enim per mortem suam genus humanum de aeterna morte liberavit. Ex hoc, quod Dominus dicit se granum frumenti, habet ecclesia, quod sub nulla specie alia consecrat corpus Christi. — De tertio, Zach. 9, 17.: Quid bonum ejus et quid pulchrum nisi frumentum electorum? Quia panis pulcherrimus, dulcissimus et nobilissimus est corpus Christi in gloria beatorum. Hinc sciendum, quod beati habebunt in eo triplex donum, omnium deliciarum praeparationem, omnium desideriorum impletionem, omnium bonorum securam et aeternam fruitionem. — De pri[illegible] oculus non vidit etc. I. Cor, 2, 9.; de secun[illegible] Jerusalem Dominum etc. Ps. [illegible] [illegible] qui manducat panem in regno [illegible] edunt mali cum bonis [illegible] dicto et boni in [illegible]

Tertium principale. De mirabilibus hujus Sacramenti.

CAPUT XI.

De duobus primis mirabilibus, quae fiunt in consecratione.

Tertium principaliter notandum circa dominici corporis Sacramentum sunt mirabilia divinae operationis tanquam signa, sive mirabilia divinae virtutis. Haec consideranda sunt in tribus: in dominici corporis consecratione, in ejusdem possessione et in perceptione. Primo enim corpus consecramus, secundo possidemus, tertio percipimus. Primo in consecratione consideranda sunt et credenda tria mirabilia signa divinae operationis.

Primum, quod ibi sub specie panis est verum corpus Christi; secundum quod tota substantia panis mutatur in corpus Christi; tertium, quod mutatur in corpus Christi tota substantia panis, ita tamen quod manent accidentia panis. Primum est mirabile, secundum mirabilius, tertium mirabilissimum. De duobus primis hic potest dici, de tertio in sequenti.

Primum mirabile signum in consecratione sacramenti Altaris est, quod ibi sub specie panis est verum corpus Christi, quod de Virgine sumsit. Et hoc probatur tribus modis: primo, testimonio fide dignorum; secundo, testimonio signorum positivorum; tertio, demonstratione miraculorum.

Primo — fide dignorum. Audiuntur ergo testes

veraces et idonei sufficientes. Aug.: Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum, h. e. Dei verbum institutum a Christo, profertur super panem et mox fit sacrum secretum, sc. corpus Salvatoris sub specie panis. Item Aug.: Hoc est, quod omnibus modis probare contendimus, sacramentum ecclesiae duobus constare visibili elementorum specie et invisibili carne Christi et sanguine, sicut persona Christi constat ex Deo et homine. Ambros.: Panem istum, quem sumimus in mysterio utique intelligo, qui manu sancti spiritus formatus est in utero Virginis et igne passionis decoctus in ara crucis. Panis enim angelorum factus est cibus hominum. Gregor.: Magnum atque pavendum est mysterium, quia aliud videtur aliud intelligitur. Figura panis et vini videtur et faciente Domino corpus et sanguis Christi intelligitur. Eusebius: Vere unica et perfecta ecclesiae hostia, fide aestimanda non specie neque exteriori censenda visu, sed interiori intellectu; unde coelestis confirmat auctoritas: Accipite et commedite. Recedat ergo omnis infidelitatis dubium, quia auctor muneris ipse est testis veritatis.

Secundo probatur idem ratione signorum positivorum; ratio autem eorum est, rem ita esse ut signum. Significat enim secundum impositionem Dei rem sacram sc. corpus Christi et continet illud. Unde ait: hoc est corpus meum. Signum mansit foris sc. species panis et intus erat corpus Salvatoris. Eccl. 36, 6.: Innova signa et immuta mirabilia, quasi diceret: quia vetera signa non continebant gratiam, quam figurabant, fac nova, quae continent, quod figurant. Augustinus: Ideo dicantur sacramenta, quasi sacrae rei signa, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur

speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem. In specie enim panis et vini quam videmus, res invisibiles carnem Christi et sanguinem honoramus.

Tertio probatur idem demonstratione miraculorum: Signa faciam, quae nunquam sunt visa super terram nec in ullis gentibus. (*Ex.* 34, 10.) Paschasius: Nemo, qui sanctorum vitas et exempla legerit, ignorat, quod saepe corporis Christi et sanguinis Sacramenta aut propter dubios aut certe propter ardentius amantes visibili specie in agni vel pueri forma aut in carnis et sanguinis colorem monstrata sint, ut quod latebat mysterio, patesceret in miraculo. — Beato enim Basilio in die Pascha mysteria celebranti hebraeus quidam se sicut christianus populo commiscuit, officii volens explorare mysterium, qui vidit infantem partiri in manibus Basilii et communicantibus omnibus, venit ipse et data ei hostia vere caro est facta. Et servans reliquias abiit in domum suam ostendens uxori suae et narrans, quae propriis oculis viderat. Credens ergo ait: Vere horribile et admirabile est christianorum Sacramentum. In crastino venit ad Basilium et baptizatus est cum omni domo sua. — Idem: Quidam presbyter erat Aegidius nomine, religiosus valde, qui cum sanctam duceret vitam, coepit piis precibus pulsare Deum, ut ei monstraret naturam corporis et sanguinis Domini. Venit ergo dies, ut idem more solito divina celebraret et post Agnus Dei procumbens genibus: Creator, inquit, et redemptor, omnipotens Deus pande mihi exiguo in hoc mysterio naturam corporis Christi, ut mihi liceat eam prospicere in forma pueri, quem olim sinus matris tulit vagientem. Et ecce angelus de coelo veniens affatur:

Surge, propera, si vis Christum videre; adest praesens corporeo vestitus amictu, quem sacra purpura gessit. At presbyter pavidus surgens, vidit super aram puerum sedentem. Cui angelus: quia Christum videre placuit, quem sub specie panis verbis sacrasti mysticis, nunc oculis inspice et tracta manibus. Tunc coelesti lumine sacerdos fretus (quod mirum dictu est) in ulnis tremeutibus puerum accepit et pectus proprio pectori Christi adjunxit, deinde perfusus in amplexus dat dulcia Deo oscula et suis labiis pressit pia labia Christi. Quibus ita peractis restituit puerum in Altari et rursus humi prostratus deprecatur Dominum, ut dignetur ipse verti in speciem pristinam. Et surgens invenit Christum remeasse in formam priorem et sic sub specie debita communicavit eidem.

Secundum miraculum in consecratione Sacramenti Altaris est quod substantia panis mutatur in corpus Christi, quod sumsit de Virgine. Et hoc fit potestate verbi Dei, quod probatur tribus modis fieri posse: a potestati simili, a minori, a majori. — Primo a potestate simili, quia verbum Dei substantiam unam in aliam commutavit: aquam in vinum (*Joan.* 2.); in similibus enim simile est judicium: ubi similis praecipit virtus, similis obedit effectus. Secundo probatur a minori, eo quod res, quae minus possunt quam verbum Dei, unam substantiam mutant in alteram. Unde sciendum, quod providentia Dei mutationes rerum tribus modis fieri voluit, praeter quas verbo Dei facit, arte, natura, gratia. Ars enim hominis unam substantiam mutat in aliam, ut patet in vitrifice, qui vilem cinerem mutat in praeclarum et nobile vitrum. Ergo multo magis verbum Dei. Item naturae virtute aqua in vite

mutatur in vinum et opera apum succus florum in favum. Similiter in nobis ipsis panis, quem manducamus quotidie per naturam mutatur in carnem; ergo multo magis virtus verbi Dei mutare potest panem in substantiam corporis sui.. Item gratia hominis mutat unam substantiam in alteram. Moyses mutavit virgam in serpentem et aquam in sanguinem. Ambros.: Quod si tantum valuit benedictio humana, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi ipsa verba Salvatoris operantur? Si ergo quaeris, quomodo potest, quod panis est, fieri corpus Christi? respondeo: consecratione; quia fit Christi sermone. — Tertio probatur idem a majori, quia verbum Dei multa facit majora et facere potest, quam quod panem in corpus Christi mutet. Unde: in principio erat verbum (usque: omnia per ipsum facta sunt.). Ambros.: De totius mundi operibus legitur, quod ipse dixit et facta sunt. Sermo ergo, qui potest facere ex nihilo, quod non erat, non potest ea, quae sunt, mutare in id, quod non erat? Non enim minus est, dare rebus novas quam mutare naturas, et sic quod erat panis ante consecrationem, jam corpus Christi factum est post consecrationem, quia sermo mutat creaturam. Cum ergo irrationalis creatura et inanimata sc. panis mutatur in melius, in corpus Christi virtute verbi Dei, mirum quod peccator homo nec multis verbis nec beneficiis, nec comminatione nec promissione converti potest — de mala vita in bonam.

CAPUT XII.

De tertio mirabili, quod fit in consecratione, sc. de transsubstantiatione.

Tertium mirabile, imo mirabilissimum signum in consecratione Altaris est, quod mutatur in corpus Christi tota substantia panis: sic tamen quod remanent accidentia panis i. e. color, sapor et hujusmodi Christi corpus circumstantia et nostris sensibus objecta. Quod enim in consecratione mutatur panis in corpus Christi, jam probatum est; et quod remanent accidentia, humanis sensibus patet. Talis mutatio est supernaturalis et dicitur proprie conversio sive transsubstantiatio, quia similis ei per omnia non invenitur in natura. Quod tamen ita fieri possit in hoc Sacramento, triplici potest ostendi similitudine.

Prima similitudo, quod substantia panis possit mutari, ita quod accidentia maneant, sumitur de gratia prophetali. Hinc est, quod Helisaeus misit sal in aquas amaras et conversae sunt in dulces. (*IV. Reg.* 2, 21.) In qua conversione quatuor consideranda sunt, sc. continens et contentum, operans et operatum. Continens est illa species sive claritas exterior, contentum amaritudo interior, quae transit atque mutatur in quartum sc. operatum i. e. in dulcedinem et hoc per tertium sc. operans i. e. per gratiam prophetalem. Sic est quodammodo in mutatione panis in corpus Christi. Primum sc. continens i. e. species panis exterior manet: secundum sc. contentum i. e. substantia panis mutatur in quartum sc. in corpus Christi et hoc per tertium sc. operans i. e. per verbum Dei.

Secunda similitudo ejusdem sumitur a conversione spirituali, de qua I. Reg. 10, 6. dicit Samuel ad Saul, qui significat peccatorem: Insiliet in te spiritus Domini et mutaberis in virum alium: in qua conversione sive mutatione quatuor jam supra dicta consideranda sunt. In statu enim peccati noster homo exterior pulcher est et sanus, sed homo interior amaritudine et peccati veneno plenus et aegrotus. Hic dum per spiritum Dei convertitur specie corporis manente, exterior amaritudo et languor peccati interior in dulcedinem et sanitatem gratiae commutatur. Primum, sc. species corporis exterior manet; secundum, sc. amaritudo peccati interior transit in quartum i. e. dulcedinem gratiae et hoc per tertium, sc. per spiritum Dei. Eugenius ad quendam conversum: Quanta et quam celebranda beneficia vis divinae bonitatis operatur, et quod non tibi novum et impossibile esse debeat, quod in Christi substantiam terrena convertuntur, teipsum interroga, qui praeterita vilitate deposita subito novam indutus es bonitatem, in exteriori nihil additum, totum est in interiori mutatum.

Tertia similitudo ejusdem sumitur de mutatione naturali. Videmus enim, quod ova ponuntur sub ave et per naturam mutantur in carnem, imo in aviculam vivam. In hac mutatione similiter illa quatuor, quae jam dicta sunt, possunt inveniri. Ibi enim est continens, sc. testa, quasi species ovi exterior et contentum sc. vitellum quasi substantia ovi interior, et operans sc. natura, et operatum sc. caro pulli. Primum i. e. testa, species exterior manet; secundum, vitellum sive substantia interior transit et mutatur in quartum sc. in corpus pulli vivi et hoc per tertium

sc. operantem naturam. Et mira similitudo, quia diebus aliquibus integra exterius videtur quasi adhuc sit ovum, quod non est ovum sed vivi pulli integrum corpus testa velatum. Sicut ergo in hac re columba per naturam sic in sacramento Altaris spiritus sc. per suam omnipotentem virtutem. Si ergo sub ave ponis unum vel duo vel plura ova, vertuntur ea per naturam interius in carnem, testa manente exterius: quanto magis unam hostiam panis vel plures in altari, manente specie exterius spiritus sanctus ea repente interius in corpus Christi sua virtute convertit? — Nota versus de corpore Christi, de hoc, quod dicit de substantia panis, non quod sit materia corporis Christi, sed quod panis convertitur in corpus Christi: Corpus de pane, corpus de Virgine natum. Primum conversum, sed materiale secundum.

Hic moraliter notandum est, cum irrationalis creatura sc. panis per verbum Dei spiritus ejus in melius convertitur, quanta sit peccatoris duritia, qui multis verbis et spiritus sancti operationibus ad conversionem non perducitur. Induraverunt facies suas supra petram et noluerunt reverti. (*Jer.* 5, 3.) Haec induratio finalis impoenitentia est, cujus triplex est causa: longa consuetudo peccandi (*Sap.* 14, 16.); incredulitas de justitia Dei (*Soph.* 1, 2.); seductio inimici i. e. diaboli. (*Ose.* 5, 4.)

CAPUT XIII.

De tribus mirabilibus, quae considerantur in corporis Christi possessione.

Hic dicendum est de tribus mirabilibus, quae fiunt virtute et perfectione consecrationis et attenduntur in ejusdem possessione et post consecrationem adhuc nobiscum habemus.

Primum mirabile signum, quod in possessione dominici corporis magna res sc. corpus Domini continetur sub tam parva specie panis, cujus assignatur triplex ratio:

Prima ratio est demonstratio magnitudinis sapientiae artificis tantae rei sc. spiritus sancti. Videmus enim, quod artifices, quanto sunt in arte sculpendi peritiores, tanto sculpunt imagines subtiliores. Unde si artificibus ostenditur gemma vel metalli materia valde parva et rogetur in ea imago fieri subtilissima, minus subtilis artifex respondebit, quod eam facere non possit, quod maxime subtilis in arte facile facit. Sic ad demonstrandam sapientiam spiritus sancti sub minima specie Sacramenti facile esse facit — totum corpus Christi. Hinc Sap. 7, 22.: Spiritus sanctus dicitur esse subtilis. Non enim potest ei tam subtilem partem panis proponere in Altari, quin sciat et possit eam in verum corpus Christi convertere. Damesc.: Quomodo fiet hoc, ait Virgo: quoniam virum non cognosco? respondit angelus: Spiritus sanctus superveniet in te (*Luc.* 1, 34.) Et tu quaeris quomodo panis fiat corpus Christi? Et ego dico tibi: Spiritus sanctus superveniet

et ipse faciet haec, quae super naturam sunt et super intelligentiam.

Secunda ratio ad idem est similitudo potentiae Christi cum potentia Dei. Quicquid enim potest Dei Filius per naturam, hoc potest filius hominis propter personae unitatem: Data est mihi omnis potestas. (*Matth.* 28, 18.) Ambrosius super illud: hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur (*Luc.* 1, 31.): Non ideo erit magnus, quod ante partum Virginis magnus non fuerit, sed quia potentiam, quam Dei filius ante tempora naturaliter habuit, hic erit ex tempore accepturus, quia sicut in unam personam ita in unam potentiam conveniunt Dei filius et hominis; sed Dei filius, verbum patris, illam habuit potentiam, quod minima parte corporis opere spiritus sancti de virtute separata se vestivit et illi se inclusit secundum illud: et Verbum caro factum est. Ergo similem potestatem dedit homini Christo sc. ut possit facere corpus suum esse sub minima panis specie. Dominus in Sion magnus (*Ps.* 98, 2.): Sion interpretatur speculum, ut dicit Papias et Augustinus. Et dubium non est, quod magna imago tam expresse tam integre apparet in parvo speculo, sicut in magno. Magnus ergo Dominus in Sion i. e. in speculo esse dicitur, quia verum corpus Christi tam integraliter esse sub parva specie panis sicut sub magna recte creditur.

Tertia ratio ad idem est sufficiens causa ad finem Sacramenti. Finis sacramenti est animam fidelem spiritualiter cibare et contra malum et ad bonum confortare. Causa hujus efficiens est corpus Christi et id potest tam plene esse sub specie panis parva sicut sub magna, quia sub utraque aequaliter unitum est Deo,

ex quo fluit omnis virtus in sacramento. Quantacunque enim parva sit species illa panis, ibi est totum corpus Christi per conversionem, sanguis per connexionem, anima per conjunctionem et divinitas integra per unionem. Unde certum est, quod habet plenam rationem cibandi spiritualiter et confortandi animam. Qui minus collegerat, non reperit minus de manna quam qui plus collegerat. (*Ex*. 16, 18.) Hilarius: Non enim aestimanda est quantitas in hoc visibilis sed virtus spiritualis. Unde qui multum vel magnum panem consecrat non habet amplius quam verum corpus Christi ad salutem suam.

Secundum signum mirabile est, quod unum et idem corpus est in pluribus locis, in pluribus hostiis, in pluribus portionibus: et hoc probatur tribus modis:

Primo per prophetam Malachiam ad Judaeos: Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. Ecce loca plurima exprimit et unam oblationem mundam fidelium dicit. In omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad te et benedicam tibi. (*Exod*. 20.) Memoria nominis Domini sacrificium est Altaris sc. corpus Christi, quod fieri jussit in commemorationem ejus; hoc fit in multis locis et in hoc venit unus Dominus ad benedicendum nobis.

Secundo probatur hoc per manifestam rationem, quae est quod filius hominis participat potentiam filii Dei propter personae unitatem. Ambros.: Sicut in unam personam sic in unam potentiam conveniunt Dei et hominis filius. Unde sicut Dei filius est essentialiter in omnibus rebus, ita dedit filio hominis, ut corpus

ejus sacramentaliter esse possit in pluribus locis. Aug.: Intelligendum est, corpus Christi esse in uno loco i. e. in coelo, ubi ascendit ad dexteram patris i. e. visibiliter in forma humana. Veritas tamen ejus i. e. divinitas ubique est. Veritas tamen ejus i. e. verum corpus in omni altari sacramentaliter est, ubi celebratur. Innocentius III.: Disposuit coelestis altitudo consilii: sicut tres personae sunt in unitate essentiae sc. pater et filius et spiritus sanctus, ita tres essent substantiae in unitate personae sc. divinitas Christi, corpus et anima. Cum ergo Christus secundum naturam divinam tribus modis existere in rebus sc. in omnibus per essentiam in solis justis per gratiam in homine assumto per unionem, voluit ut idem ipse secundum humanam naturam etiam tribus modis existeret: In coelo localiter, in verbo personaliter, in altari sacramentaliter. Unde sicut secundum divinitatem essentialiter est in omnibus rebus ita secundum humanitatem sacramentaliter totus est in pluribus locis.

Tertio probatur idem per visibilem similitudinem, quae cunctis in speculo declaratur. Nam si faciei tuae plura proponas specula, in omnibus aequaliter et integraliter una apparebit facies et si unum speculum in plura frusta etiam parva confringas, perfecta tua facies in singulis erit. Et licet speculum infringatur in plura, facies tua tamen manet in omnibus una, nec mutatur. Sic est revera in sacramento Christi, qui speculum dicitur et imago bonitatis illius. Si ergo speculum i. e. forma panis in partes plures dividatur, in singulis erit unita Deo i. e. verum corpus Christi. Hieronymus: Singuli fidelium accipiunt Christum totum et in singulis portionibus totus est,

nec per singulos minuitur sed integrum se praebet in singulis.

Tertium mirabile est, quod corpus Domini licet sit in pluribus locis vel hostiis aut portionibus, tamen per partes non est divisum sed manet in se integrum et conjunctum. I. Cor. 1, 13.: Divisus est Christus? Quasi diceret: non est divisus, quia licet in coelo sit localiter, in corde justi spiritualiter, in multis locis sacramentaliter, tamen manet in se conjunctus. Et est hujus mirabilis rei ratio ineffabilis unio hominis et Dei, carnis et Verbi. Unde sicut Verbum Dei ubique est et totum replet coelum et mundum manens indivisum, sic dedit corpori, quod assumsit de Virgine et dedit Apostolis. Divinitas enim, quae ubique est, replet illud et conjungit et facit ut sicut ipsa una est ita veritas corporis Christi unum corpus fit in veritate. Aug.: Quando manducamus Christum, partes de illo non facimus, sed in sacramento fit hoc, unusquisque quod accipit. Accipit unusquisque partem suam in sacramento et manet totus integer in seipso. Manet integer totus in coelo et manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem, quando venit in Virginem, implevit illam, non recessit ab illo. Venit in carnem, ut eum homines manducarent et manebat integer apud Patrem, ut angelos pasceret. Rogandus est ergo Dominus, licet simus corporaliter ab invicem divisi, ut simus semper spiritualiter in caritate conjuncti et digne non pascat in praesenti suo sacramento et plena cum angelis sui visione in futuro. Amen.

CAPUT XIV.

De tribus mirabilibus, in corporis Christi perceptione.

Hic est dicendum de tribus ultimis considerandis in corporis Christi perceptione.

Primum mirabile est, quod corpus Domini dum manducatur non minuitur et hec est contra haereticos, qui dicunt: si corpus Domini omni monte majus esset, jam diu clerici illud consumsissent. Hujus tam mirae rei sc. inconsumtibilitatis corporis Christi in manducatione triplex est ratio:

Prima ratio est quotidiana potestas consecrandi; nam quia omnibus diebus et omnibus fidelium locis et sub tot hostiis quot sufficiunt fidelibus verum et unicum corpus Christi ex praecepto ejus consecrare possumus: idcirco dum illud manducamus, consumere vel minuere non valemus. Sicut enim in nobis causa salutis aeternae semper manet effectus illud manducandi, sic et potestas et effectus consecrandi et cum jam consecratum manducamus, nequaquam illud minuimus. Quia quod semper in se veraciter integrum perseverat, ne sacramentaliter in ecclesia possit deficere, semper consecrando in forma panis, quasi sacramentum nutriendo et renovando conservamus. Quod pulchre figuratum est in panibus propositionis: Pone super mensam meam panes propositionis in conspectu meo semper. (*Ex.* 25, 30.) Quid ergo? mentitus est Deus? Absit, sed umbra deficit in synagoga, veritas manet nec deficit in ecclesia. Sacerdos enim noster

semper sacramentum altaris consecrando nutrit et corpus Christi, quod in illo semper idem est, nunquam manducatione fidelium deficit.

Secunda ratio est incorruptibilitas vera corporis hujus, quod surrexit glorificatum, immortale, immutabile et impassibile, nec potest corrumpi: Non dabit sanctum tuum videre corruptionem. (*Ps.* 15, 10.) Unde cum illud manducamus, non sicut alius cibus corrumpitur nec mutatur in corpus nostrum, sed influit nobis sine corruptione sui, spirituale nutrimentum. Hoc figuratur III. Reg. 17, 15.: Ubi pugillus farinae non defecit in domo viduae per multos dies cibans familiam totam juxta verbum Eliae. Aug.: qui manducat me, dicit Dominus, vivet propter me; quando enim manducatur hic panis vita manducatur, nec occiditur quando manducatur; non occidit sed mortuos vivificat. Vivit manducatus, quia surrexit occisus. Hinc enim lapidi pretioso comparatur, de quo virtus exit ut phantasmata fugandi vel inflationes sedandi vel alta sine diminutione sui. Constituit hominem, ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo. Deut. 31, 13. Petra autem erat Christus I. Cor. 10, 4. Sicut ergo gemma virtutem suam effundendo non minuitur, sic corpus Domini nos pascendo non minoratur.

Tertia ratio ad idem infinita causa pascendi. Qui enim ad eum accedere possunt, pastum sufficienter inveniunt. Hinc fons et lux vera dicitur: Dereliquerunt me fontes vivae. (*Jer.* 2, 13.) Erat lux vera. (*Joan.* 1, 9.) Sicut ergo fons terram rigat et sine sui diminutione herbas innumeras et arbores nutrit, sic Christus ecclesiam pascit. Item sicut sol non deficit toto mundo lumen communicando, sic nec Christus

ecclesiam totam pascendo. Item exemplum de candela, in qua milesies tantus ignis sumi potest, quantus in ea est, nec propter hoc minuitur lumen ejus. Igitur multo potius Dominus nos seipso pascit nec tamen deficit. (*Ps.* 144, 6.; 101, 28.)

Secundum mirabile signum in perceptione corporis Domini est, quod si non manducatur, quodam modo minuitur. Ad intelligentiam tam mirae rei sciendum quod duo sunt corpora mystica in hoc mundo sc. corpus mysticum Christi et corpus mysticum diaboli sive Antichristi, ad quorum alterum pertinent omnes homines mundi. Corpus mysticum Christi sancta est ecclesia tanquam ipsius munda et fidelis sponsa, cujus ipse caput est, et singulae personae fidelium sine culpa criminali sunt ipsius membra, et omnes, qui corpus ejus digne sumunt, ipsius membra fiunt: Unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus I. Cor. 10, 17. — Corpus diaboli universitas est iniquorum, tanquam illius nutrix adultera, cujus ipse caput est, et singulae personae malorum ejus membra: Corpus ejus scuta fusilia compactum squamis se prementibus. (*Job* 41, 6.) Greg.: Corpus diaboli sunt omnes iniqui, qui quia per obstinationem duri sunt et per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Sciendum, quod sicut Christus per se et per suos semper studet membra diaboli praescindere et suis membris incorporare (*Act.* 10, 13.), sic diabolus per se et per suos conatur membra Christi tollere et membris suae meretricis vilibus unire: Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? I. Cor. 6, 15.; quasi diceret: Absit, ut faciam tantum nefas; quod tamen heu multi faciunt.

Aug.: Non possunt simul esse membra Christi et membra meretricis. Nec dicendi sunt manducare corpus Christi sc. spiritualiter etsi manducent sacramentaliter. Sed non manducando spiritualiter corpus Christi et male vivendo tollunt Christi membra et faciunt ea membra diaboli et sic diminuunt quantum in se est corpus Christi. Quod enim diabolo in animabus accrescit, Christo decrescit. Et sic corpus Christi mysticum diminuitur.

Tertium mirabile signum in perceptione dominici corporis est, quod dum manducatur a fidelibus, tunc augmentatur. Hic probatur dupliciter ratione et similitudine.

Primo probatur ea ratione, quod dum manducatur corpus Christi, non ipsum ut alius cibus in manducantem convertitur, sed e converso vere manducans in illud spiritualiter convertitur et mutatur. Nam manducantem se Dominus sui corporis mystici membrum facit et sibi eum incorporans cum suo corpore, quod de Virgine sumsit, quodammodo unum efficit: Vos estis corpus Christi et membra de membro. (I. *Cor*. 27, 12.) Aug.: Commendavit Christus in hoc sacramento corpus et sanguinem suum, quod et fecit nos ipsos; nam et nos ipsi sumus facti corpus ejus. Caro enim nostra carni ejus unita et incorporata unum cum illo efficitur: Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico (*Ose* 12, 8.); quasi diceret: fideles vivent tritico i. e. dominici corporis sacramento. Quod sacramentum dicitur umbra Christi, quia dat se ibi non in sua luce sed in velamine. Quod sic comedentes convertentur, quia in corpus Christi mutabuntur. Et sic patet, dum multi fidelium comedunt corpus Christi et in illud ipsi

mutantur et membra ejus efficiuntur, quod corpus Christi dum manducatur augmentatur.

Secundo probatur idem similitudine humanae scientiae; nam quanto magis homo scientiam suam aliis distribuit, tanto plus crescit: Domine quinque talenta etc. (*Matth*. 25, 20.) Similiter divina sapientia incarnata multis in cibum donata sapientes facit et in se quodammodo convertit et sic dum comeditur non minuitur sed augmentatur: Crescamus in illo per omnia, qui est caput nostrum Christus, ex quo totum corpus compactum sc. per fidem et connexum (per caritatem) in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate. (*Ephes*. 4, 16.)

Quartum principale: de praeparatione ad hoc sacramentum.

CAPUT XV.

De qualitate nostrae praeparationis ad Sacramentum.

Quartum principaliter circa sacramentum dominici corporis notandum est qualitas nostrae praeparationis. Nam valde justum est, ut ad tam dignum et venerandum cibum sc. ad ipsum Dominum omnium non incurate et indevote, sed aliquo competenti modo praeparati accedamus: Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos (*Ex*. 19, 21); si-

militer et alii. Praeparatio nostra considerari potest in tribus: In dignitate ipsius corporis sacri. Nam quia mundissimum et Deo vivo plenum et unitum, necesse est illud suscipienti per tria praeparari:

Primo per fidei plenitudinem: Accedamus cum vero corde in fidei plenitudine (*Hebr.* 10, 21.); cum vero corde i. e. cum vero intellectu sine errore. In plenitudine fidei i. e. in plena fide credentes quae non videmus, sc. sub specie panis esse totum Christum, verum hominem et verum Deum. Propter hujus fidei magnum meritum dicitur: Credentes in Christum, quem non videtis, exultabitis laetitia inenarrabili. (*I. Petr.* 1, 8.)

Secundum praeparativum est munditiae magnitudo, quia congruum est, ut vas suscepturum corpus mundissimum, sit mundum. Decet enim cor, quasi aurum esse purissimum per magnam munditiam, quod capere debet coelestem panem. Alex. Papa: Nihil in sacrificiis majus esse potest quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, sed omnes praecellit, quae pura conscientia offerenda est et pura mente sumenda. Hugo: Pura conscientia est, quando non habet de praeterito justam accusationem, de praesenti injustam delectationem, sed de futuro justam voluntatem. Joseph petiit a Pilato corpus Jesu et accepto corpore involvit in sindone munda. (*Matth.* 27, 57.) Gloss.: Sindone munda involvit Jesum, qui pura mente eum suscipit. Hinc etiam mos Ecclesiae habet, ut sacramentum Altaris non in serico, non in panno tincto, sed in puro linteo celebretur. In tribus vero, quae perducunt corporale linteum ad candorem, intelliguntur tria, quae faciunt ad nostram mundifica-

tionem. Primo enim lavatur, secundo torquetur, tertio exsiccatur. Si quis ad suscipiendum Dominum bene mundus vult fieri, primo debet per aquam lacrymarum emundari: Accedamus aspersi corda conscientia mala et abluti corpus aqua munda (*Hebr.* 10, 22.); secundo per opera poenitentiae torqueri: castigo corpus meum (*I. Cor.* 9, 21.): tertio per fervorem amoris Dei a carnalium desideriorum humore siccari: Sanctificamini, cras comedetis carnes. (*Num.* 11, 18.)

Tertium praeparativum est orationis devotio: Maria Magdalena et aliae devote portabant aromata, dum quaerebant corpus Domini. (*Luc.* 23, 1.) Sic nobis accessuris ad corpus Domini praelibanda est orationis devotio, ut, quod sorte minus parati sumus, per jejunium et confessiones suppleat spiritualium aromatum i. e. orationum oblatio. Magna pars populi, quae sanctificata non fuerat, comederat Phase et oravit pro eis rex Ezechias dicens: Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum et non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt. (*II. Par.* 30, 18.) Aug.: Quamvis, qui peccato mordeatur veniali, peccandi tamen de caetero non habeat voluntatem, satisfaciat lacrymis et orationibus et confidens de Domini miseratione accedat ad Eucharistiam intrepidus et securus. — Secundus modus nostrae praeparationis consideratur in hostia panis. Sicut enim granum frumenti arte humana gradatim proficit ad panis complementum, sic anima peccatrix gratia Dei proficit ad bonum statum, in quo licenter suscipit corpus dominicum. Grana, ex quibus fit hostia, signant statum peccatoris propter tria. Sunt enim dura et furfure operta et ab invicem distincta; sic peccator durus est

in corde, qui non vult converti ad dulcem Deum de sua iniquitate: induraverunt facies suas supra petram et noluerunt converti. (*Jer.* 5, 3.) Item peccator opertus est quasi furfure peccati deformitate. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. (*Jer.* 2, 36.) Item peccator divisus est a proximo suo caritatis privatione: Divisum est cor eorum, nunc interierunt. (*Ose* 10, 2.) Sed grana ad statum, in quo sunt in hostia per hunc modum sunt deducta: Primo contrita est eorum durities per molam et in minimas partes redacta; secundo furfure sunt mundata, tertio commista est farina adinvicem per aquam et per ignem decocta et in panem solidata: sic peccator, qui dignus erit sumere corpus Domini, debet per se tria, quae in his signantur, praeparare per cordis contritionem, per oris confessionem, per proximi dilectionem: Si offers munus tuum. Gloss: Si fratrem laesisti, reconciliare ei, etiam si adversarius fuerit, esto benevolus, ut fiat amicus et tunc offeres munus tuum. Azyma comedes (*Ex.* 12, 15.); i. e. panem sine fermento, et erit quasi signum in manu tua et quasi monumentum ante oculos tuos. Quod sc. significatur in eo, quod dictum est: cordis contritio, oris confessio, proximi dilectio, quibus debemus nos praeparare, ut digne possimus ad Christi corpus accedere.

CAPUT XVI.

De praeparatione nostra in tertio sc. in agno paschali.

Hic dicendum est, qualiter ex figura agni paschalis consideretur nostrae praeparationis modus, de qua Ex. 12, 5. legimus. Haec figura in tres partes dividenda. Prima pars est ipse agnus edendus, secunda fercula cum quibus est edendus, tertia personarum edentium habitus. In prima discimus praeparari per fidei integritatem, in secunda per animi virtuositatem, in tertia per vitae honestatem.

Prima: pars istius est ipse agnus, qui secundum legem manducatur et in hoc tria considerantur:

Primo: quando comedendus est, quia in nocte, cum res plene non videtur, in quo credendum significatur, quo corpus Christi in praesenti nobis dari debuit, non manifestum, sed in sacramento velatum. In secundo sc. quod non comeditur ex eo crudum, significatur, quod non debemus credere, Christum esse hominem purum. Item, quod non comeditur aqua coctum, significat, quod non debemus credere Christum secundum communem hominum consuetudinem conceptum aut natum. Item, quod comederunt eum tantum assum igni significat, quod Christi incarnatio et ejus corporis consecratio credenda est celebrari per potentiam Spiritus sancti. In tertio sc. quod caput agni cum pedibus et intestinis vorari praecipitur, significatur esse credendum, quod in hoc Sacramento totus Christus cum divinitate et corpore et anima continetur et sumitur.

Secunda pars hujus figurae sunt fercula tria, cum quibus solebant agnum manducare sc. lactucae agrestes, panes azymi et sanguis agni. (*Ex*. 12, 8.) Lactucae agrestes significant dolorem de peccatis, panes azymi — intentionem puram cum operibus bonis, sanguis agni — memoriam et imitationem dominicae passionis; quibus praeparari debet anima fidelis. Greg.: Lactucae agrestes valde amarae sunt, carnes vero agni cum his comedendae sunt, quia cum corpus Christi accipimus, compungi pro peccatis debemus, ut amaritudo poenitentiae abstergat amorem perversae vitae. Panes sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione inanis gloriae facit de fermento malitiae. Panes sine fermento malitiae manducat, qui opere misericordiae sine peccati admistione exhibet, ne perverse rapiat, quod quasi recte dispensat. Sanguis agni super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis sed etiam ore mentis hauritur et ad imitationem intenta mente cogitatur. Nam qui sic redemptionis sanguinem accipit, ut imitari passionem nec dum velit, in uno tantum poste sanguinem ponit. Item in superliminaribus ponendus est sanguis agni, quia non tantum in memoria sed in manifesto portari debet crux passionis: Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. (*Gal*. 6, 17.)

Tertia pars ejus figurae est habitus, sive tria insignia illorum, qui manducaverunt agnum; sc. cingulus renum, calceamenta pedum, baculus manuum. (*Ex*. 12, 11.) Primum designat carnis et mentis continentiam, secundum exemplorum Patrum custodiam, tertium vitiorum nostrorum correctionem et exiguntur ad communicantium praeparationem.

Primum praeparativum est mentis et carnis continentia in cingulo renum figurata. Greg.: in renibus accipitur carnis delectatio; unde Ps. 25, 2.: Ure renes meos et cor meum. Qui ergo Pascha comedit renes accingat, quia qui corpus Domini accipit, voluptatem domat, luxuriam refraenat. Haec praeparatio continentiae attendenda est quantum ad tria genera hominum sc. ad conjugatos, de incontinentia poenitentes, spirituales. Primi ante sacram communionem continentiam debent servare aliquantum, secundi longiorem, tertii continuam. — De primo dicitur ad David, I. Reg. 21, 5.: Si pueri mundi sunt maxime a mulieribus, manducent sc. panem sanctum: respondit David: si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudius tertius. Dedit ergo eis sacerdos sanctificatum panem. Si talis continentia servata est ad figuram, quanto magis servanda est ad corporis Christi veritatem? — De secundo: Homo, qui fuerit leprosus aut patiens fluxum seminis, i. e. peccans per incontinentiam carnis, non vescetur de his, quae sanctificata sunt mihi, donec sanetur sc. per poenitentiam. Hinc statuti sunt ante Pascha quadraginta dies poenitentiae, ut his peractis in jejuniis et orationibus et continentia et bonis operibus tunc possint communicare poenitentes cum aliis bonis Christianis. — De tertio sc. de continentia continua et sempiterna: Sacerdotes sancti erunt Domino suo et non polluent nomen ejus. Incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt; et ideo sancti erunt. (*Lev.* 21, 6.) Beda: Si veteris testamenti sacerdotes secundum ordinem vicis suae intraturi templum ad offerendas legales hostias a propriis uxoribus oportuit abstinere, quanto magis nostri sacerdotes, quos ad consecrandum sacrosanctum

corpus Domini paratos semper esse oportet et continuam et sempiternam semper debent castitatem conservare?

Secundum praeparativum est exemplorum Patrum custodia per calceamenta pedum figurata. Greg.: Calceamenta in pedibus habere est mortuorum Patrum vitam aspicere et nostra vestigia a peccati vulnere custodire: Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, o filia principis (*Cant.* 7, 1.)? Gressus sunt profectus operum in calceamentis i. e. in consideratione vitae Patrum.

Tertium praeparativum est correctionis disciplina in baculis manuum figurata. Baculus enim significat rectitudinem justitiae, qua debemus nosmetipsos de nostris excessibus ante communionem judicare: Apprehendite disciplinam etc. Quodsi nosmetipsos dijudicaremus (I. *Cor.* 11, 27.) Aug.: Ascendat hic adversus te tribunal mentis tuae et constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio et testis conscientia et carnifex timor Domini, inde quidam sanguis animae confitentis per lacrimas profluat et sic cessat vindincta divina, cum confessio et correctio praecedit humana et sic homo dignus erit ad sumendum corpus Christi nunc in sacramento et perfecta fruitione in futuro: Omnis disciplina in praesenti non videtur gaudii sed moeroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiae. (*Hebr.* 12, 1.)

Quintum principale: de triplici modo manducandi sanctum corpus Christi.

CAPUT XVII.

De primo manducandi modo sc. de sacramentali.

Quintum principale circa sacramentum dominici corporis notandum, est modus manducationis et hic triplex sc. sacramentalis tantum, spiritualis tantum, sacramentalis et spiritualis simul. Ad hoc intelligendum, sciendum est, quod in cibo altaris duo sunt sc. sacramentum et virtus sacramenti. Sacramentum ut dicit August.: in duobus consistit, visibili panis et vini specie et invisibili carne et sanguine Christi. Virtus vero sacramenti est sanatio a damnatione mortis aeternae. Hanc virtutem sacramenti crediderunt et gustaverunt spiritualiter omnes salvandi ab origine mundi et quotidie gustant omnes boni Christiani. Secundo modo tam boni quam mali; hoc modo dissimili, quia mali manducant sacramentum tantum i. e. sub visibili specie panis corpus Christi, sed non virtutem sacramenti manducant spiritualem i. e. salutem ad vitam aeternam; boni vero manducant utrumque simul sc. sacramentum et virtutem sacramenti. Ex his patet triplex modus manducandi. Primus sacramentalis tantum; secundus spiritualis tantum; tertius sacramentalis et spiritualis simul. Primo manducant mali Christiani, secundo omnes salvandi, tertio soli boni Christiani. Primi manducant et non manducant; secundi non manducant et tamen manducant, tertii manducant et manducantur.

Primus modus manducandi corpus Domini est sa-

cramentalis tantum, quomodo mali Christiani manducant, quia venerandum corpus in peccato mortali ore polluto sumentes cordis effectum ab influentia virtutis bonitatis ejus, peccatis suis immundis et duris, quasi luto et lapide claudunt. Ezech. 14, 3.: posuerunt immunditias suas in cordibus suis et idola, sc. scandalium iniquitatis suae statuerunt contra faciem suam: Isti manducant et non manducant; manducant quidem, quia corpus Domini sumunt sacramentaliter, sed tamen non manducant, quia virtutem spiritualem i. e. salutem animae non percipiunt. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt i. e. peccatis carnalibus. (I. *Cor.* 10, 20.) Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum. Greg.: Est quidem in peccatoribus indigne sumentibus vera Christi caro et verus sanguis, videlicet praesentiali essentia, non salubri efficientia. Aug.: Qui discordat a Christo, nec manducat carnem ejus nec bibit sanguinem et si tantae rei sacramentum quotidie sibi sumat ad judicium. Discordat a Christo, qui cordis affectum ab eo avertens ad peccatum convertit. Et talis vere miserabilis dici potest, ad quem tam magnum bonum frequenter venit et nullum exinde spirituale lucrum accipit sive percipit.

Hoc modo sc. sacramentaliter manducantium tria sunt genera: primi malevoli, secundo dolosi, tertio praesumtuosi. Primi sunt, qui corpus Domini sumunt in peccandi voluntate. Secundi sunt hypocritae, qui foris boni apparentes, occulte sunt pravi et tamquam justi accedunt ad altare. Tertii sunt, qui maxime mali sunt et tamen praesumunt communicare. De duobus primis potest hic dici et de tertio in sequenti.

De primo genere malorum communicantium sc. de malevolis *Is.* 29, 13.: Appropinquat populus iste ore suo, cor autem eorum longe est a me. Appropinquat ore per sacramenti susceptionem sed cor longe est per peccandi voluntatem. Tales tria mala sequuntur: peccati sui aggravatio, a gratia Christi separatio, ad aeternam poenam condemnatio. — De primo: Non est bonum sumere panem (*Matth.* 15, 27) etc. canibus i. e. malevolis. Aug.: Habentes voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiae perceptione quam purificari. — De secundo: perversae cogitationes separant a Deo (*Sap.* 11.) — De tertio: quicunque manducaverit panem hunc (I. *Cor.* 11, 27.) Ambros.: Indignus est, qui non devota mente accedit ad Eucharistiam, aut in voluntate peccandi manens reus est corporis et sanguinis Domini i. e. ac si Christum occideret, punietur.

De secundo genere malorum communicantium sc. de dolosis sive hypocritis: In novissimis diebus instabunt tempora periculosa et erunt homines seipsos amantes, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. (*II. Tim.* 3, 1.) Speciem pietatis i. e. religionis, quia eadem sacramenta habent cum piis: virtutem pietatis i. e. caritatem abnegantes, multa sc. mala perpetrantes et manifesta fallaciter excusando. Tales similiter tria mala sequentur, socii Judae traditoris efficientur, coram toto mundo confundentur, extra bonorum consortium prrojicientur. — De primo: Qui manducat panem meum, levabit contra me calcaneum suum. (*Joan.* 13.) Hoc dicitur de Juda et de illi similibus sc. fictis Domini amicis. Unde Gloss.: Qui manducat panem meum, non ut proficiat

sed ut lateat, ille me conculcabit i. e. tradet. Qui ergo vult latere in peccatis sub plena specie religionis et communicationis similis efficitur ei socius Judae traditoris. — De secundo: Ne sis incredibilis timori Domini et ne accesseris ad eum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, ne forte revelet Deus abscondita tua et in medio synagogae elidat te, quoniam accessisti maligne ad Dominum et cor tuum est plenum dolo et fallacia (*Eccl.* 1, 36.) — De tertio: Vae vobis hypocritae, qui similes estis sepulchris dealbatis, quae foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia i. e. putredine et verme et foetore. (*Matth.* 23, 27.) Sic et vos a foris quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Hypocrisi i. e. amore vanae laudis; iniquitate i. e. cupiditate temporalium et odio veritatis et ideo praemittitur: vae vobis i. e. extra bonorum consortium miserabilis projectio.

Sed ecce contra magna mala dat leve remedium divina clementia, quia spiritualis conclusio sc. bonum fieri de malo. Declina a malo et fac bonum. (*Ps.* 33, 14.) Et ex frequenti bene agere fit homo bonus. Et cum bonus est sequentur eum tria bona sc. poenae debitae relaxatio, divinae gratiae restitutio, aeternae gloriae acquisitio. De primo: Si dixero impio, morte morieris et egerit poenitentiam de peccato suo, vita vivit et non morietur. (*Ezech.* 33. 14.) — De secundo: Qui bonus est, hauriet sibi gratiam a Domino. (*Prov.* 12, 2.) — De tertio: Euge serve bone (*Matth.* 25, 21.) etc., quia in pauca i. e. in bonis, quae tibi commissa sunt, bene negotiatus es, super multa te constituam sc. ae-

terni gaudii bona. Intra in gaudium, ut sc. ex omni parte perfruaris gaudio.

CAPUT XVIII.

De tertio genere indigne manducantium sc. de praesumtuosis.

De praesumtuosis, qui non timent communicare vel celebrare in magnis criminibus et manifestis: I. Cor. 11, 27.: Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit i. e. valde malum est illi, Unde sciendum, quod duplex est effectus corporis Domini sc. bonitatis quoad bonos, severitatis quoad malos et tamen ipsum semper immutabile et bonum in se manet, sed justo judicio effectus ejus mutatur in his, qui male eo utuntur. Aug.: Sancta malis possunt obesse, quia qui manducat corpus Domini indigne, judicium sibi manducat; non quod res illa mala sit, sed quia malus, quod bonum est, male accipit. Hujus rei exemplum est in sole et in vino. Nam eandem solis lucem, quam oculus sanus ad delectationem et confortationem, aeger suscipit ad turbationem. Et vinum, quod sanus homo ad jucunditatem et confortationem, febricitans accipit ad majorem infirmitatem vel certe ad mortem. Hinc est, quod indigne communicantes tria mala sequuntur sc. magna culpa, Dei offensa, multiplex plaga.

Primum malum praesumtuose manducantium est magna culpa: Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas, quibus gloriata es? (*Jer.* 11, 15.) Isido-

rus: Qui scelerate vivunt in ecclesia Dei et communicare non desinunt putantes se tali communione mundari, discant nil ad emendationem proficere sibi, dicente eodem propheta: Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas? Quasi diceret: non auferunt sed augmentant. — Hujus triplex est ratio:

Primo perversa intentio. Actionis enim voluntariae triplex est radix sive principium: vel natura, vel virtus bona, vel libido. Omnis actio cujus radix est natura vel virtus, bona est; cujus autem radix libido, mala est. Sed ejus, qui in peccato mortali est scienter et sumit corpus Christi, non potest esse radix natura neque virtus, quarum neutra aliquo modo dictaret, quod aliquis rem pretiosam ac venerandam in loco vel vase immundo poneret; unde peccatoris, qui corpus Domini sumens ponit in ore suo polluto et corpore, radix est libido, i. e. perversa intentio ut lucri temporalis vel vanae laudis vel alicujus deceptionis.

Secunda ratio culpae istorum est divini praecepti transgressio. Sicut enim Dominus in statu innocentiae lignum vitae ad edendum concessit et in statu culpae prohibuit: sic nobis in statu bono corpus Christi conceditur et in malo prohibetur: Nolite sanctum dare canibus i. e. immundis peccatoribus. (*Matth.* 7, 6.) Homo, qui habuerit maculam, non offerat panem Domino, ne accedat ad ministerium ejus. (*Lev.* 21, 17.)

Tertia ratio culpae istorum est maxima ingratitudo. Quae enim potest esse major, quam si quis habens Dominum, a quo accepisset quicquid boni haberet, et ipsum insuper morte sua de suspendio liberasset, eundem Dominum in stabulum immundissimum inimici

sui traditione duceret, et ibi conculcaret et rursus occideret? Tanta ingratitudine peccant, qui corpus Domini sumunt in peccato mortali: Quanta putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? sc. in morte Christi. Ambros.: Christum ille conculcat, qui libere peccat absque timore et poenitentia, et qui ei indigne participat. — Qui indigne Christum sumit, idem est ac si interficiat. Aug.: Quam temerarium est, quamque nefarium est cruentis manibus intemeratae Virginis tractare filium. Quis auditus sustineret aurium? Quis oculus non confunderetur ad intuitum? cujus mens non raperetur in excessum, ubi mundi pretium mittitur in sterquilinium? Non enim minus est detestabile in os pollutum quam in lutum mittere Dei filium.

Secundum malum istorum est magna Dei offensa. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum, quis orabit in eo? (*I. Reg.* 2, 25.) Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum et offertis super altare meum panem pollutum. (*Mal.* 1, 16.) Glos.: Corripit sermo divinus Episcopus et ministros ecclesiae negligentes et omnes, qui Christi nomine censentur, cur nomen despiciant. Quibus aperit causas offensae, quod pollutum panem offerunt. Polluit enim panem i. e. corpus Christi, qui indigne accedit ad altare et mensam Domini, si non scelerata voce, scelerato opere despicit, et dum sacramento violatur ipse, cujus est sacramentum, violatur.

Tertium malum istorum est multiplex plaga et gravis justa Dei vindicta. Sicut enim ab antiquo filiis Israel maximum erat peccatum et pessimarum causa

maledictionum, quod per idololatriam Deum projecerunt et postea Judaeis impiis, quod Christum non susceperunt: sic modo Christianis maximum est peccatum et causa plagarum, quod corpus Salvatoris indigne suscipiunt. Gregor.: Creator omnium per incarnationis mysterium Judaeam visitare dignatus est, sed quia non cognovit tempus visitationis suae, ideo gentibus frequenter in praedam data novissime Romanis tradita est; et venerunt super eam omnia genera maledictionum, quae in libro legis scripta sunt. Similiter his, qui gratiam Dei ingrati accipiunt, certa est damnatio. Plagae autem triplices esse possunt: multa damna spiritualium bonorum, sterilitas terrae sive caristia temporalium, pestes corporum et strages hominum. De prima: Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium tuum, de quibus praeceperas, ne intrarent ecclesiam tuam. (I. *Thren.* 1, 10.) Gloss.: Hostis antiquus ad desiderabilia ecclesiae manum mittit et spiritualem ornatum aufert in membris illius fidem contaminans, baptisma rescindens, i. e. gratiam in baptismo datam, doctrinam corrumpens, corpus et sanguinem Christi indigne tractans et vasa pretiosa i. e. oves Christi quasi lupus devastans. Et causa tanti mali redditur, quia gentes i. e. carnem amantes et Christi circumcisionem non habentes, ministri altaris efficiuntur. De secunda plaga: Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut facias omnia mandata ejus, venient super te omnes maledictiones istae. Maledictus fructus terrae tuae, armenta boum et greges ovium etc. (*Deut.* 28, 15.) De tertia plaga: Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi sc. somno mortis vel Dei verbere vel proeliorum

adversitate: Adhuc carnes erant in dentibus eorum et ecce furor Domini excitatus in populum percussit eum plaga magna. (*Num.* 11, 33.)

Sed ecce contra has plagas et omnia jam dicta mala triplex est remedium: emendatio vitae per poenitentiam voluntariam, correctio malitiae per superiorem disciplinam, mutatio incorrigibilis personae per justitiae districtionem. De primo (*Joel* 10, 13): Accingite vos et plangite sacerdotes; ululate ministri altaris et ingredimini et cubate in saccis. Accingite vos sacerdotes et ministri cingulo poenitentiae et plangite puro corde, ululate in confessione et oratione et ingredimini ecclesiam per poenitentiam, unde existis per culpam, cubate in sacco i. e. delicias, quibus offendistis, per vitae austeritatem recompensate, ut iram Dei possitis mitigare. — De secundo (*Mal.* 3, 3.): Ecce veniet Dominus quasi ignis conflans sc. per justos praelatos et purgabit filios Levi i. e. ministros altaris, et sic utrique plagatus mitigabitur ira Dei. — De tertio (*Ezech.* 20, 36.): Judicabo vos, dicit dominus, et subjiciam vos sceptro meo, et eligam de vobis transgressores et impios sc. ad subjiciendum, qui in malo perseverant i. e. incorrigibiles.

CAPUT XIX.

De secundo manducandi modo sc. de spirituali.

Secundus modus manducandi Christum est spiritualis tantum, et isto modo omnes salvati ab initio mundi manducaverunt, et salvandi manducant. Ambros.: Non manducans manducat et manducans non manducat,

quia sc. non manducans sacramentaliter, manducat spiritualiter et e converso. Circa spiritualem manducationem tria sunt consideranda sc. differentia personarum sic manducantium, ratio spiritualiter manducandi, effectus manducationis.

Hujus primum est differentia personarum sic manducantium, quae est triplex: incipientium, proficientium, perfectorum: Manducantium fuerunt quatuor millia virorum exceptis mulieribus et parvulis. (*Matth.* 25, 38.) In parvulis incipientes, in mulieribus proficientes, in viris perfecti significantur.

Secundum est ratio, qua dicuntur jam dicti spiritualiter manducare. Unde sciendum: primi sc. incipientes manducant spiritualiter ratione fidei salutaris; secundi ratione bonae conversationis; tertii ratione devotae meditationis. De primis: Justus ex fide vivit, tanquam ex cibo spirituali. Aug.: Crede et manducasti. Credere enim in Christum est credendo in eum ire, ipsi corde inhaerere, in ipso delectari et per veram caritatem membris ejus incorporari. De secundis, qui manducant ratione bonae conversationis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. (*Joan.* 32, 4.) Iste cibus conversationis consistit ex tribus virtutibus, quasi ex tribus ferculis sc. innocentia, poenitentia, misericordia. Tertii sc. perfecti manducant spiritualiter ratione devotae meditationis. Et in hac manducatione tria sunt, quae in commestatione corporali consistunt sc. appetitus, masticatio et delectatio.

Primo debemus esurire spiritualiter Christum cibum nostrum intimo corde desiderando. Si non dixerunt tabernaculi mei: quis det, ut de carnibus ejus saturemur? (*Job.* 31, 31.) Quasi optabant et desiderabant

saturari. Qui edunt me adhuc esurient. (*Eccl.* 24,29.) Greg.: In spiritualibus deliciis saturitas appetitum parit, quia quanto magis eorum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur.

Secundo debemus spiritualiter masticare totum Christum sc. membra et caput i. e. nosmetipsos et sanctos et salvatorem mundi districta discussione cogitare, nos ipsos dijudicando, incarnationis Christi beneficia devota mente ruminando. Primo perfecti masticant seipsos diligenter se examinando et dijudicando: Probet seipsum homo, i. e. examinet et purget seipsum totum, sc. cor, linguam etc. et sic postea edat. Secundo sanctos masticant mortuos et bonos adhuc viventes vitam eorum ad imitandum considerando. Tertio perfecti masticant spiritualiter carnem Christi sc. incarnationis ejus Sacramenta et beneficia devote meditando.

Tertio debemus in spirituali manducatione delectari interna dulcedine, quae elicitur de Christi masticatione. Haec dulcedo spiritualis est quaedam praegustatio gaudii coelestis valens contra tria mala, quae sunt in mundo. Ibi est falsa dulcedo in delectabilibus utendis, grandis amaritudo in adversis sustinendis, tristis imago in bonis faciendis. Contra hoc valet dulcedo spiritualis, quia falsam dulcedinem mundi facit insipidam, grandem amaritudinem facit dulcem, tristem imaginem reddit jucundam. De primo: Quae mihi fuerunt lucra, arbitratus sum propter Christum detrimenta, propter quem omnia arbitratus sum ut stercora. (*Phil.* 3, 7.) De beato Augustino dicitur: displicebat ei quicquid agebat in saeculo. De secundo: Et lapidabant Stephanum dicentem: Domine Jesu ne statuas illis hoc pec-

catum. (*Act.* 7, 59). Hinc Stephano lapides dulces fuerunt et multis Sanctis ardentes prunae, candentes vestes, visae sunt tanquam rosae suaves et multi Sancti gaudent in tribulatione. De tertio: Cor gaudens exhilarat faciem. (*Prov.* 15, 13.)

Tertium circa spiritualem manducationem notandum est effectus hujus manducationis et hic est triplex: peccatorum remissio, ab aeterna morte sanatio, vera corporis Christi ad salutem aeternam participatio. De primo Ambros.: Qui manducant spiritualiter virtutem carnis et sanguinis Christi, dicuntur sumere et vere manducare, quia ipsam corporis Christi efficaciam quotidie sumunt i. e. peccatorum remissionem. De secundo: Hic est panis de coelo descendens; si quis ex ipso manducaverit, non morietur sc. morte aeterna. Aug.: Patres nostri eandem escam spiritualem manducaverunt quam et nos; corporalem vero alteram i. e. manna, quod significabat Christum et idem credentibus effecit. Alii vero, qui non crediderunt manducaverunt et mortui sunt aeternaliter, quod non Moyses et alii boni. Quare? Quia cibum invisibilem spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter sanarentur sc. ab aeterna morte. Similiter et nos spiritualiter manducando ab aeterna morte liberamur. De tertio super illud I. Cor. 10, 17.: Unus panis et unum corpus etc. dicit Aug.: Nulli dubium est, tunc quemque corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando membrum Christi efficitur; nec alienari ab illius panis consortio, etiam si antequam panem edat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat; quia illius sacramenti beneficio non privatur, quando ille cum hoc, quod sacramentum

significat, invenitur. Invenitur autem hoc quod Sacramentum significat, quando membrum Christi efficitur, quando credendo et amando spiritualiter manducat, quia sic in corpus Christi vere convertitur, ut cum ipso aeternaliter vivat.

CAPUT XX.

De tertio modo manducandi sc. de sacramentali et spirituali simul.

Tertius modus manducandi corpus Christi est sacramentalis et spiritualis simul, quo boni Christiani communicant. Unde circa hunc modum possunt tria notari:

Primum: multitudo non communicantium sc. malorum. Cum enim triplex sit modus manducandi: sc. sacramentalis tantum, quo mali Christiani manducant et tamen non manducant; spiritualis tantum, quo boni non manducant et tamen manducant; sacramentalis et spiritualis simul, quo soli boni Christiani manducant et manducantur: restat ad divisionis hujus sufficientiam multitudo quaedam malorum, qui nec manducant nec manducantur, quia sc. corpus Christi non manducant et ideo aeterna morte peribunt. Istorum tres sunt species sive turmae:

Primo infideles, quorum corda per malitiam fallente diabolo sic excaecata sunt, ut non possint credere et cognoscere divina sacramenta, pro salute mundi mirabili sapientia Dei instituta. De his Joan. 6, 53.: quomodo potest hic nobis carnem suam etc.; quasi diceret: non credimus, quod possit dare.

Secundo negligentes, qui temporalibus lucris et

saecularibus negotiis in tantum se occupant, ut sacram communionem debito tempore sumere negligant. De his Matth. 22, 4.: Illi autem negligentes abierunt, alii in villam suam, alii in negotiationem suam. Gloss.: In villam ire est terreno labori immoderate insistere; in negotiationem vero, terrenis lucris nimis inhiare. Tales, qui prandium divini sacramenti negligunt quamvis fidem et quaedam opera caritatis habere videantur, tamen nisi poeniteant, peribunt.

Tertio contemnentes, qui sceleribus tanto amore inhaerent, quod corpus Domini parvipendant. De his Joan. 3, 19.: Hoc est judicium, quia lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum opera mala; quasi dicat: Justo judicio excommunicantur et condemnantur, qui plus diligunt peccatis inhaerere quam se praeparare Christum suscipere. Canon: Qui pro sceleribus suis vel tribus annis non communicant excommunicandi sunt, donec poenitentiam agant. — Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam.

Secundum circa hunc modum considerandum est magnitudo felicitatis bonorum, corpus Christi digne sumentium. Et hoc probatur a tribus;

Primo ex optimae partis electione, quia sicut beata Virgo sibi e tribus propositis, sc. esse matrem et non virginem, vel esse virginem et non matrem, vel esse virginem et matrem, ultimam et optimam sc. esse matrem et virginem simul elegit: sic inter tres modos corpus Christi manducandi elegerunt optimam partem sc. sacramentaliter et spiritualiter simul; et sic ex utraque parte, quod melius est, comedunt et ideo multo felices sunt. Eccl. 8, 15: Laudavi igitur laetitiam,

quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet et biberet atque gauderet; quasi dicat: laudavi prae omnibus laetitiam sc. veram i. e. testimonium bonae conscientiae et quod non esset homini sub sole, i. e. melius in hoc mundo, nisi quod comederet panem sc. qui de coelo descendit et biberet vinum, quod laetificat cor hominis sc. sanguinem Domini.

Secundo probatur felicitas istorum magna, a Spiritus sancti vera participatione. Sap. 12, 1.: quam suavis est Dominus Spiritus tuus in nobis, qui sc. fluit in nobis de tuo corpore. Aug.: Participatione corporis et sanguinis Christi homo vivit non sumens tantum sacramentum, quod et mali faciunt, sed pertingens usque ad spiritus participationem, ut in corpore Domini tanquam membrum maneat et ejus spiritu vegetetur.

Tertio probatur ab ipsius Christi certa inhabitatione. Hil.: Accepta carne Domini et hausto sanguine id efficitur, ut nos in ipso et Christus in nobis sit; est enim in nobis Christus per carnem, dum carnem ejus accipimus et in eo sumus, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est.

Tertium circa hunc modum considerandum est ratio remanducationis digne manducantium, de qua remanducatione dicitur: tales manducant et manducantur. Et hujus ratio est, quia dum corpus Domini digne a fidelibus manducatur non ipsum, ut alius cibus in manducantem convertitur, sed e converso illud vere manducans in illud spiritualiter mutatur. Nam manducantem se Dominus sui corporis membrum facit et sibi incorporans per caritatem unit et imagini suae bonitatis similem efficit: Vos estis corpus Christi et membrum de membro I. Cor. 10, 12. Quod vero manducando

corpus Christi non in nobis sed nos in illo convertamur, triplici similitudine probatur.

Prima sumitur de virtute amoris nostri. Haec est enim vis amoris transformari cor amantis in amatum i. e. amati fortunae prosperae et adversae assimilari. Hug.: Ea vis amoris est, ut talem te esse necesse sit, quale id est, quod amas, et cui per affectum conjungeris, in illius similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformeris. Cant. 8, 6.: Pone me, ut signaculum super cor tuum, tanquam super ceram callidam puram et mollem aptam suscipere impressam imaginem. Super cor ergo callidum amore Dei, purum munditia sui, molle pietate proximi corpus Christi ut sigillum ponitur, non ut ipsum, quod immutabile est, in nos mutetur, sed nos in imaginem bonitatis ejus transmutemur.

Secunda similitudo ad idem sumitur de virtute rei majoris. Nam si gutta aquae in magnum vas vini fundatur, virtute multitudinis vini aqua ex toto in illo mutatur, sed virtus dominici corporis ineffabilis est magnitudinis et nos multum exigui respectu illius. Substantia mea tanquam nihilum ante te. (*Ps*. 38, 6.) Magnitudo itaque virtutis et dulcedinis Christi infusa exiguo et humili corde nostro vincit illud et a se deficere faciens in illam convertit, ut jam non mundanis hominibus non nobis ipsis sed Christo in voluntate sermone et bona conversatione similes simus.

Tertia similitudo ad idem sumitur de virtute rami arboris. Haec est enim proprietas surculi bonae arboris, si trunco inseratur etiam silvestri, quod naturali virtute praevalens illius amaritudinem in suam dulcedinem et nobilitatem convertit et similem sibi bonum

fructum proferre facit. Sic corpus Christi nobis insitum defectus nostros evacuat et in suam nos bonitatem trahit ut quales ipse frondes, flores et fructus justitiae facit, tales et nos per eum faciamus. Hinc Spiritus sanctus dicit (*Ezech.* 17, 22.): Sumam de medulla cedri sublimis et de vertice ramorum ejus et plantabo ibi montem excelsum et rumpet in germen et faciet fructum. Cedrus sublimis est Deus Pater, rami eminentiores antiqui patres, vertex ramorum beata Virgo, medulla cedri aeterna Dei sapientia, pars de ramorum vertice caro sumta de Virgine. Spiritus ergo sanctus medullam cedri et partem de summo ramo sumsit, quia Christi incarnationem fecit et hunc quasi surculum nobilissimum plantat in montem excelsum, cum fidelibus a terrenis desideriis ad coelestia elevatis dominici corporis tribuit sacramentum. Hinc fructus erumpit quia cor fidele propria amaritudine relicta vitiorum, virtute corporis Domini similes Christo spirituales frondes, flores, fructus virtutum et bonorum operum facit. Hinc dictum est Augustino: Cibus sum grandium. Cant. 21, 3.: trahe me post te, me sc. mutando in te, violentia meae dilectionis, magnitudine tuae dilectionis, virtute firmae insertionis, ut non maneat in me radix amaritudinis; sed praevalet operando in me virtus et dulcedo tuae bonitatis. Vivo ego jam non ego. (*Gal.* 2, 2.)

Sextum principale circa hoc sacramentum: de duodecim effectibus corporis Christi.

CAPUT XXI.

De quatuor primis effectibus sive fructibus corporis Christi contra nostros languores.

Sextum principale circa sacramentum dominici corporis notandum est effectus bonitatis illius sive virtus spiritualis. Nam quia parentes primi per vetiti a Deo pomi gustum corrupti multas infudere miserias suo generari, necessarium fuit, medicamento Salvatoris miseriis subveniri. Circa quod sciendum, quod miseriae sunt tres generales sc. vincula culpae, defectus gratiae, mortis plagae. — De primo: Funes peccatorum circumplexi sunt me. (*Ps.* 118, 61.) De secundo: Anima mea sicut terra sine aqua tibi (*Ps.* 142, 6.), i. e. sterilis sine fluentia gratiarum et germine virtutum. De tertio: Circumdederunt me dolores mortis. (*Ps.* 17, 5.) In qualibet istarum trium miseriarum generalium intelliguntur quatuor mala specialia, quasi duodecim languores speciales, ad quos curandos ordinantur duodecim dominici corporis effectus sive fructus: Ostendit mihi angelus lignum vitae, afferens fructus duodecim ad curandos nostros duodecim defectus sive languores. (*Apoc.* 22, 2.)

Prima quatuor mala nostra sive languores sunt quasi vincula culpae, quibus stringuntur animae sc. daemonis tentatio, fomitis repugnatio, cordis macula, Creatoris offensa. Contra haec valet fructus Virginis

sc. corpus Salvatoris. De primo languore: Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. (*Ephes.* 6, 11.) — De secundo: Caro concupiscit adversus spiritum. (*Gal*. 5, 2.) Video aliam legem etc. Aug.: i. e. fomitem peccati in membris meis, ut in oculo ad concupiscendum, in lingua ad maledicendum, in manu ad maleficiendum et sic de aliis: repugnantem legi mentis meae i. e. legi Dei. — De tertio Jer. 2, 22.: Si laveris te nitro, tamen maculata es in iniquitatibus tuis coram me. — De quarto: Ego iratus sum parum, ipsi autem adjuverunt in malum. (*Zach.* 1, 15.) Aug.: Justitia Dei non sinit esse dedecus culpae sine decore vindictae.

Contra haec quatuor mala ordinantur quatuor dominici corporis fructus primi, qui nos liberant a vinculis culpae, daemonem fugant, fomitem refrigerant, maculam cordis mundant, iram Dei placant. De primo: Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus. (*Ps.* 67, 1.) — De secundo fructu: Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Cum ergo fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigerium percipit, quasi de umbra gratiae, quae de ipso fluit. Osee 14, 3.: Ego quasi ros et Israel germinabit sicut lilium. — De tertio fructu Is. 6, 6.: Volávit ad me unus de Seraphim et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari et dixit: Ecce tetigi labia tua et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur. Lapis iste praecisus sumtus de altari significat corpus Christi et dum eo os cordis tangitur, peccatum veniale mundatur. Greg.: Dominus dedit nobis sacramentum salutis, ut qui quotidie peccamus et ille jam mori pro peccato non potest, per hoc remissionem consequamur. — De quarto fructu: Munus

absconditum extinguit iras. (*Prov.* 21, 14.) Lev. 2, 7.: Si de craticula fuerit oblatio, simila oleo conspergetur . . . qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de ipso et adolebis superaltare in odorem suavitatis Domino. Panis in craticula coctus et oblatus et aspersus oleo Christus in cruce pro nobis passus et totus unctus spiritu sancto. Hujus sacrificii memoriale est Hostia, quae offertur in memoriam passionis dominicae. Haec debet super altare adoleri i. e. accendi, quia in corde fideli cum fervore desiderii et devotionis suscipi. Hic ordo suavitatis est Domino i. e. tam gratus Deo, ut ob ejus gratiam remittat iram suam et nos sibi reconciliet et ad aeternam pacem perducat. Amen.

CAPUT XXII.

De quatuor fructibus secundis.

Secunda quatuor mala nostra sive languores sunt quatuor defectus gratiae, quibus multae laborant animae sc. defectus in cognitione sui, in dilectione proximi, in sapore spirituali, in consummatione boni. Contra haec valet fructus ventris Virginis, corpus Salvatoris. — De primo languore Ps. 18. 2.: Delicta quis intelliget? quibus sc. vel alios peccare feci, vel aliorum peccatis consensi. Matth. 7, 3.: Quid vides festucam in oculo fratris tui et trabem in oculo tuo non vides? — De secundo Matth. 2, 6.: Quoniam superabundavit iniquitas refrigescet caritas multorum. Defectus amoris probatur ab exterioribus signis: I. Joan. 3, 17. Qui habuerit substantiam hujus mundi et viderit fratrem suum necessitatem patientem et clauserit vis-

cera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? — De tertio dicitur Num. 11. et figuratur in populo Israel, qui in Egypto carnibus cum allio et cepis satiatus fuerat et post in deserto talia concupiscens panem coelestem, sc. manna dulcissimum cum nausea respuebat. I. Cor. 1, 4.: Animalis homo non percipit ea, quae sunt Dei. Aug.: Animalis dicitur carnalis homo, qui fertur dissoluta lascivia animae suae. — De quarto Gal. 3, 3.: Sic stulti facti estis, ut, cum spiritu coeperitis, nunc carne consummamini. Cant. 7, 12.: Mane surgamus et videamus, si floruerit vinea. Flores fructum pariunt. Gloss.: Non est intuendum, si vinea floret, sed si flores ad partum fructuum convalescunt; quia sc. non est mirum, si quis bona inchoat, sed valde mirabile est, si intentione bona in bono opere perseverat.

Contra haec quatuor mala ordinantur quatuor secundi fructus corporis Domini, qui nos hic in gratia perficiunt. Intellectum enim ad se cognoscendum illuminat, voluntatem sive affectum in dilectione inflammat, memoriam spirituali dulcedine delectat, totum hominem in bono confirmat. — De primo fructu Ps. 26, 1.: Dominus illuminatio mea: Ps. 33, 5.; accedite ad eum et illuminamini sc. ad cognitionem vestri. — De secundo fructu dicitur Is. 6, 6., quod angelus tulit calculum de altari et tetigit os Isaiae. Calculus est carbunculus, sic dictus, quia ignitus ut carbo, et significat corpus Domini de altari sumtum et caritate inflammatum, qui accendit amore corda fidelium. — De tertio Cant, 2, 3.: Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi. Primo fidelis anima Christum desiderat, aestuat spiritu et sitit. Secundo umbram desiderii in spe fructum obtinendi sentit. Tertio sedet, exspectat, orat,

ut se totum ad ipsam reficiendam et vivificandam fructus infudat. Quarto infusam ejus dulcedinem suaviter gustat.

Nota: Sed dicet aliquis: Ecce, saepius ut possum, me praeparo; corpus Domini sumo, sed nihil sentio solatii spiritualis dulcedinis. Respondeo: Cibus iste sive fructus medicina est hominis. Unde sicut medicus peritus quandoque quibusdam dat medicinam dulcem palato corporis et quandoque non sic, sed dulcem palato mentis, quae quamvis non gutturi, tamen bene sapit rationi, pro eo, quod sanam mentem delectat: sic Dominus dat suis fidelibus dulce semper corpus, sed dulcedinem suam alio modo illis alio istis, prout cuilibet expedire novit. Hinc est, quod quidam dulcedinem istam sapiunt per affectum et ardentiori delectantur devotione, et alii eandem dulcedinem sapiunt per pium intellectum et sufficienti reficiuntur utilitate in eo, quod credunt et intelligunt, per hunc cibum sanctum veram vitam obtinere. Igitur quamvis non sapis dulcedinem Domini primo modo i. e. per affectum firmae devotionis, sapis tamen secundo modo sc. per intellectum multae utilitatis. De hoc secundo est illud: fructus ejus dulcis gutturi meo. (*Cant.* 2, 3.) Gloss.: dulcis fructus gutturi cordis, quia in eo intelligit causam vitae, dum etiam corporaliter percipit.

Postmodum de quarto fructu Ps. 103, 15.: Panis cor hominis confirmet, quia sc. corpus Christi fideles suos in bona vita confirmat et confortat. — De his quatuor fructibus simul per figuram dicitur: Elisaeus incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus et oculos super oculos ejus et manus super manus ejus et calefacta est caro pueri. (*IV. Reg.* 4, 34.) Per

puerum fidelis anima, per Elisaeum Dominus significatur, qui sicut sigillum cerae, sic se conjungit animae; oculos suos super oculos ejus ponit, quia intellectum illuminat; carnem calefacit, quia affectum caritate inflammat; os super os ponit, quia gustum memoriae dulcedine spirituali delectat; manus super manus ponit, quia in bono opere usque in finem conservat et sic totum hominem perficit, ut ad vitam aeternam perducat. Amen.

CAPUT XXIII.

De quatuor fructibus tertiis.

Tertia quatuor mala nostra sive languores sunt quasi mortis plagae, quibus multae gravantur animae sc. debitum mortis aeternae, defluxus bonae vitae, exilium mundanae miseriae et incineratio corporalis materiae. Contra haec valet fructus virginis, corpus Savatoris.

De primo languore: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors. (*Rom.* 5, 12.) Mors i. e. certitudo mortis temporalis et debitum aeternae mortis, nisi subveniret redemptio Salvatoris. — Eramus natura filii irae sicut et caeteri debitores aeternae mortis. (*Eph.* 2, 3.)

De secundo Ps. 101, 12.: Dies mei sicut umbra defluxerunt. Gen. 47, 9.: Dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt parvi et mali et non pervenerunt ad dies patrum meorum.

De tertio: Juxta fidem defuncti sunt omnes non

acceptis repromissionibus sed a longe eas aspicientes et salutantes et confitentes, quia peregrini et hospites super terram. Qui enim haec dicunt, significant, se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent, de qua exierant, habebant utique tempus revertendi; nunc autem appetunt meliorem i. e. coelestem. (*Hebr.* 11, 13.)

De quarto Job 10, 9.: Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me. Eccl. 14, 18.: Omnis caro foenum et sicut folium in arbore viridi. Gloss.: Sicut foenum in terra et folium in arbore crescit, virescit, marcescit, arescit et dejicitur: ita caro nostra.

Contra haec quatuor mala ordinantur quatuor circumstantiae fructus dominici corporis, quae salvant nos a plagis mortis. Ab aeterna enim morte liberat, merita bonae vitae multiplicat, ad patriam vitae deducit, ad aeternam vitam corpus resuscitat.

De primo fructu Joan. 6, 48.: Ego sum panis vitae; patres vestri manducaverunt manna et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Quia sc. non solum ab aeterna morte, quae est in inferno, sed etiam ab illa, quae fuit in limbo virtute corporis Christi liberatur; et insuper haec brevis mors corporis in vitam aeternam, quae est in coelo, eidem commutatur.

De secundo fructu Joan. 6, 52.: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; quia pro multiplicandis meritis bonae vitae. Sicut enim puer parvulus per cibum corporalem crescit magnitudine, robore et decore: sic fidelis per cibum spiritualem proficit meritis bonae vitae.

De tertio fructu Joan. 6, 51.: Ego sum panis vivus

etc. i. e. deducam eum de exilio praesentis miseriae ad coelum. Ambros.: Dominici corporis figura praecessit, quando Dominus in deserto patribus manna pluit, quia sicut ille panis populum per desertum ad terram promissionis duxit, haec esca coelestis fideles hujus saeculi desertum transeuntes in coelum subvehit. Unde recte viaticum appellatur, quia in via reficiens in patriam usque perducit.

De quarto fructu Joan. 6, 55.: Qui manducat carnem meam . . . et ego resuscitabo eum in novissimo die. — Sicut per unum hominem mors sc. omnium, ita per unum hominem sc. Christum resurrectio mortuorum. (*I. Cor*. 15, 21.) Sed hoc valde dissimile; unde sequitur: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Quale semen est, quod cadit in terra, talis fructus surgit de terra. Similiter qualis est vita tua, dum morieris, talis erit tempore suo resurrectio tua. Seminatur zizania et surgit ex ea deformis et odibilis herba; seminatur triticum et resurgit frumentum pulchrum. Haec figurata sunt in somno regis: Gen. 41, 20. Septem spicae deformes signant omnes reprobos cum magna deformitate in judicio apparentes; septem pulcherrimae omnes electos cum gloriosis corporibus resurgentes. I. ad Cor. 15, 43.: Seminatur corpus corruptibile, surget incorruptibile, seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget spirituale; seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Amen.

CAPUT XXIV.

De tribus effectibus principalibus.

Sacrosanctum corpus Domini tres habet effectus principales. Primus est peccatorum destructio: secundus bonorum spiritualium largitio vel augmentatio; tertius animarum confortatio vel vitae aeternae collatio.

Primus effectus principalis corporis Christi est destructio peccatorum. Et hoc ad tria: ad dealbandum maculam cordis, ad mitigandum stimulum carnis, ad resistendum cogitationibus pravis. — De primo Ps. 67, 14.: Nive dealbabuntur in Selmon. Selmon mons Dei est et interpretatur umbra et sicut dicit Gloss.: corpus Christi significat, quia sicut fit de lumine et corpore, ita in corpore Christi est lumen divinitatis et caro humanitatis. In hoc monte umbroso super nivem dealbabuntur fideles, quia virtute corporis Christi incomparabiliter a macula peccatorum emundantur. Is. 43, 25.: Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. — De secundo Ex. 16, 13.: Mane ros jacuit in similitudinem pruinae super terram, Gloss.: Panis coelestis in similitudinem roris et pruinae superapparebat, quia corpus Christi a fervore peccatorum refrigerat. — De tertio Cant. 1, 13.: Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi. Myrrha servat corpora a vermibus incorrupta, sic corpus Christi corda fidelium a pravis cogitationibus illaesa; quia cum dilectum Dominum suscipimus, si fasciculum myrrhae i. e. amaritudinem passionis ejus pia mente cogitamus, vermes malorum cogitationum a nobis repellimus.

Secundus effectus principalis est bonorum spiritua-

lium augmentatio et hoc ad tria: ad decorem castitatis, ad fervorem caritatis, ad saporem suavitatis. De primo Daniel 1, 15.: Apparuerunt vultus eorum meliores prae omnibus caeteris, quae vescebantur cibo regio. Gloss.: Vultus eorum, quos panis satiabat, qui de coelo descendit, apparuerunt meliores decore sc. castitatis. Unde et pueri illi casti fuerunt. — De secundo Eccli. 32, 7.: Gemma carbunculi in ornamento auri. Gloss.: Ardentium gemmarum principatum tenet carbunculus, sic dictus, quia ignitus ut carbo. Significat autem corpus Christi, quod cor accipientis et ornat castitate et inflammat caritate. — De tertio Sap. 16, 20.: Angelorum esca nutrivisti populum tuum et panem de coelo praestitisti illis, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.

Tertius effectus principalis est animarum confortatio. Et hoc ad tria: ad bellandum daemonia, ad sustinendum adversa, ad operandum bona. De primo: Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus, ut possitis stare adversus insidias diaboli. (*Eph.* 6, 10.) — De secundo Act. 27, 34.: Rogo vos accipere cibum pro salute vestra et omnes sumserunt cibum confortati et animaequiores facti sunt. Ad Phil. 4, 13.: Omnia possum in eo, qui me confortat. — De tertio notandum, quod ad tria bona confortamur: ad opera misericordiarum, ad lucrum animarum, ad emtionem coelestium divitiarum. Ad opera misericordiarum: I. Tim. 1, 12.: gratias ago ei, qui me confortat in Christo Jesu. Qui enim vere considerat in hoc sacramento immensam circa se Dei liberalitatem, valde confortat eum ad proximi pietatem. Ad lucrum animarum: Cant. 1, 13.:

Oleum effusum nomen tuum, sc. de corde Christi pleno fluit oleum gratiae ad salutem animae. Ad emtionem bonorum operum coelestium. Hinc dictum est Prov. 31, 15., quod mulier fortis post cibum consideravit agrum et emit eum, virtutibus sc. et bonis operibus. — Tertius effectus principalis dici potest et vitae aeternae collatio. Joan. 52, 6.: Si quis etc.

CAPUT XXV.

De effectibus corporis Christi sumtis ex tribus vocabulis, quibus dicitur: verus panis, sacramentum altaris et caritatis sacramentum.

Effectus dominici corporis possunt sumi ex tribus nominibus, quae solent eidem ascribi. Nominatur enim quandoque verus panis, quandoque sacramentum altaris, quandoque sacramentum caritatis.

Primo, corpus Domini nominatur *panis verus* (*Joan.* 6, 33.) et secundum hoc habet tres effectus. Sicut enim panis tria bona praecipue confert corpori i. e. satiat, confortat, vitam conservat: sic panis iste satiat spiritum ad fastidium mundi faciendum, confortat animum ad malum culpae devincendum, conservat vitam ad Deum semper laudandum. — De primo Ps. 132, 16.: pauperes ejus saturabo panibus; i. e. satiasti domine familiam tuam muneribus sacris et hoc ad fastidium mundi faciendum. Prov. 27, 7.: Anima saturata conculcabit favum. Greg.: gustato spiritu desipit omnis caro. — De secundo Ps. 103, 15.: panis cor hominis confirmet, ad malum sc. culpae devincendum, quia, qui carent corroboratione hujus panis, vincuntur a vitiis.

De tertio Joan. 6, 51.: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Et haec est vita ad Deum semper laudandum.

Secundo corpus Domini nominatur *sacramentum altaris* et secundum hoc habet triplicem effectum sc. in triplici statu fidelium i. e. in hoc mundo, in coelo, in purgatorio. In statu mundi peccata relaxat in statu purgatorii poenam alleviat, in statu coeli gloriam augmentat.

De primo Joan. 1, 29.: Ecce agnus Dei, ecce etc. — Licet omnia peccata in baptismo sunt donata, infirmitas tamen peccati i. e. fomes in carne remanet; et quia ex hoc, quod quotidie labimur saltem in venialibus, ideo Christus pro nobis quotidie immolatur, ut qui semel moriendo mortem devicit, quotidie recidiva delictorum per haec sacramenta relaxet. Ambros.: Sicut quod ubique offertur unum est corpus, ita et unum est sacrificium, Christus semel in cruce hostiam pro omnibus obtulit, ipsam offerimus et nunc: sed quod nos agimus recordatio est sacrificii illius, nec causa infirmitatis illius reperitur, sed nostrae, quia quotidie peccamus.

De secundo Lev. 17, 11.: Dedi vobis sanguinem, ut super altari meo expietis pro animabus vestris. In hoc figuratum est, quod sacrificium carnis et sanguinis Christi valet animabus in poena purgatorii. Hic sciendum, quod tres turmae animarum sunt decedentium. Prima peccantium, secunda poenitentium, tertia innocentium. Primam sacrificium non adjuvat: Jerem. 7, 13.: Quia locutus sum ad vos et non audistis et vocavi vos et non respondistis, projiciam vos a facie mea i. e. ab omni bono, quod est in coelo et in terra.

Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem i. e. sacrificium laudis et non obsistas mihi, quia non exaudiam te. — Secundam animarum turmam poena alleviat; Dedi vobis sanguinem i. e. sacrificium corporis et sanguinis Christi, ut super altari meo expietis pro animabus. (*Lev.* 11, 17.) Aug.: Orationibus et eleemosynis sanctae ecclesiae et sacrificio salutari non est dubium defunctorum animas relevari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt in hoc mundo. — Tertiam sine poena ad coelum sublevat: Munus absconditum extinguit iras. (*Prov.* 21, 14.) sc. Dei; i. e. poenas purgatorii quantum ad animas innocentes et in praesenti tribulationibus et flagellis satis purgatas. Furor Dei ardet in inferno, ira in purgatorio, sagitta sive correptio amoris in hoc mundo. Qui igitur sagittas dominicae correptionis patienter portat, furorem inferni et iram ignis purgatorii duce domino illaesus evadet.

De tertio supra nominato sc. quod sacrificium altaris gloriam beatorum quodammodo in coelo augmentat. Lev. 10, 14: Pectusculum sacrificii, quod oblatum est, edetis in loco mundissimo, tu et filii tui et filiae tecum. Pectusculum sacrificii, quod optimum et dulcissimum est de animali, signat dulcedinem effectus corporis Christi, in quantum comeditur in loco mundissimo i. e. in quantum delectat beatos in coelo, quia plurimum gaudent et congratulantur in hoc sacrificio de memoria redemptionis, de aspectu nostrae salutis, de admiratione divinae bonitatis.

Tertio corpus domini nominatur sacramentum caritatis et, secundum hoc tres habet effectus, quia tria maxime bona operatur in nobis, quorum primum est

Spiritus sancti vera participatio, de qua Sap. 12, 1.: O quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus in nobis, qui sc. de corpore tuo in nos fluit; et Aug.: Participatione corporis et sanguinis Christi homo vivit non sumens tantum sacramentum, quod et mali faciunt sed pertingens usque ad Spiritus participationem, ut in corpore Domini tanquam membrum maneat et ejus Spiritu vegetetur. — Secundum est ipsius Christi certa inhabitatio: Joan. 6, 55.; Hilar.: Accepta carne Domini et hausto calice id efficitur, ut nos in Christo et Christus in nobis sit. Est enim Christus in nobis per carnem, dum ejus carnem accipimus et sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est. — Tertium est in similitudinem imaginis Dei transformatio. Joan. 1, 13.: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri i. e. deiformes et Deo secundum imaginem similes. Nec potest creatura ad majus promoveri quam quod assimiletur suo creatori. Assimilatur autem homo Deo virtute corporis Christi in tribus: in interiori cordis bonitate, in exterioris operis fertilitate, in superiori coelestis regni haereditate.

De primo II. Pet. 1, 4.: Christus propria gloria sua et virtute, maxima et pretiosa promissa i. e. seipsum nobis donavit, ut per haec efficiamur consortes divinae naturae. Unde Luc. 1, 78.: Iusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis, ut efficiamur consortes divinae naturae i. e. bonitatis, quia natura Dei bonitas est. Ambros.: Quia Dominus Jesus consors sc. divinitatis et corporis, et tu, qui accipis carnem ejus, divinae substantiae in illo participans alimento i. e. vere bonus efficieris ab eo.

De secundo Ez. 17, 21.: Sumam de medulla cedri

sublimis et de vertice ramorum ejus et plantabo in montem excelsum et faciet fructum. Surculus i. e. corpus Christi plantatum in cor justi in coelum elevatum facit similem Christo boni operis fructum. De utroque ad Gal. 2, 20.: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.

De tertio Joan. 1, 13.: Quotquot autem receperunt eum etc. Ad Rom. 1, 17.: Si filii, et haeredes, cohaeredes autem Christi. I. Pet. 1, 14.: Benedictus Deus, qui regeneravit nos i. e. de filiis diaboli filios Dei fecit, in haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcessibilem conservatam in coelis. Amen.

CAPUT XXVI.

De effectibus sumtis ex aliis tribus corporis Christi vocabulis, quibus dicitur: medicina spiritualis, manna i. e. panis coelestis, et Eucharistia.

Effectus dominici corporis possunt sumi ex tribus illis nominibus ejus supra dictis. Dicitur enim quandoque medicina spiritualis, quandoque manna i. e. panis coelestis, quandoque Eucharistia i. e. bona gratia animae fidelis.

Primo corpus Domini dicitur medicina spiritualis (*Eccl.* 48, 4.) et secundum hoc habet tres effectus. Serpens ille malignus infudit humano generi per venenum pomi vetiti triplicem corruptionem: in anima tenebras ignorantiae, in carne morbum pravae concupiscentiae, et mortem utrobique. Ad haec tria curanda valet corporis Christi medicina. Ignorantiae enim tenebras illu-

minat, morbum pravae concupiscentiae sanat et mortem destruendo triumphat. De primo Ps. 16, 131.: Paravi lucernam Christo meo; 33, 5.: Accedite ad eum et illuminamini. — De secundo Ps. 6, 2.: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. — De tertio Luc. 1, 41.: Benedictus fructus ventris tui sc. corpus Christi, quod est fructus vitae valens ad curationem mortis aeternae. Osee 13, 14: Ero mors tua, o mors.

Secundo corpus Domini dicitur Manna i. e. panis coelestis, quod manna habet similitudinem saporis frumenti, mellis et olei. Ez. 16, 13: Gustus ejus quasi similam, mel et oleum comedisti. Et secundum haec tria habet corpus Domini triplicem effectum. Operatur enim morum honestatem (frumentum), cordis suavitatem (mel), proximi pietatem (oleum). De primo Zach. 9, 17.: Quid bonum ejus et quid pulchrum, nisi frumentum electorum? Panis de frumento bonus est et pulcher in se et etiam in effectu, quia facit pulchrum: sic corpus Christi bonum et pulchrum facit honestatem morum. — De secundo: Prov. 20, 3.: Comede fili mel quoniam bonum est et favum dulcissimum gutturi tuo. — De tertio Job 29, 4—6.: Quis mihi tribuat, ut sim secundum dies, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo et petra fundebat mihi rivulos olei i. e. gratiam pietatis ad bonum proximi.

Tertio corpus Domini dicitur Eucharistia i. e. bona gratia sicut autem dicunt magistri: gratia est influentia divinae bonitatis in animam, per quam assimilata Deo, fit ei grata et vitae aeternae digna et secundum hoc corpus Domini habet tres effectus: similem Deo animam efficit, gratam et caram Deo reddit, vitam aeternam

tribuit. De primo II. Petr. 1, 3: Christus maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hoc efficiamur divinae naturae consortes; i. e. similes Deo per veram bonitatem. — De secundo Cant. 7, 6.: Quam pulchra es et decora in deliciis; quasi diceret: delicato cibo et potu corporis Christi et sanguinis es nutrita, facta es multum decora et idcirco grata Deo et cara. — De tertio Joan. 6, 65.: Qui manducat meam carnem . . . habet vitam aeternam. Item, corpus Domini dicitur Eucharistia i. e. bona gratia, et secundum hoc habet valde bonum effectum, sc. cum illud manducamus, non ipsum, ut alius cibus mutatur in nobis, sed nos in illo mutamur. Nam haec bona gratia sc. corpus Christi influit nobis bonitatem suam, per quam non ipsum nobis, sed nos illi assimilamur et in ejus bonitatem mutamur. Haec nostra in Christum mutatio potest probari similitudine triplici; prima sumitur de virtute nostri amoris, secunda de virtute rei majoris, tertia de virtute surculi arboris.

Septimum principale: circa sanguinem Christi.

CAPUT XXVII.

De illo modo, quo sanguis Christi fusus est in cruce.

Septimum principaliter circa sacramentum dominici corporis notandum est consideratio *sanguinis* sacri. Unde sciendum, quod sanguis Domini tribus modis potest considerari: primo ut in cruce pro omni salute funditur, secundo, ut in sacramento a fidelibus sumitur,

tertio, ut a salvandis spiritualiter bibitur. Primo modo consideratus ab inaestimabili dignitate commendatur. Circa hanc pretiositatem quatuor praecipue possunt notari.

Primum est pretiositatis magnae probatio et hoc probatur a tribus: a virginali origine, a dignitate innocentiae, a Dei unione. — De primo Eccl. 24, 23.: Ego quasi vitis fructificavi, fructus vitis sc. beatae Virginis, uva et vinum i. e. corpus Christi et sanguis. Vinum igitur honoris ortum de flore vitis est sanguis Christi pretiosus natus de virginitate. Multum itaque commendat sanguinis Christi nobilitatem et pretiositatem, quod a nulla, ut alius sanguis corruptione, sed a virginali flore sumsit exordium. — De secundo I. Pet. 1, 18.: Non corruptibilibus auro vel argento redemti estis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Jesu Christi. — De tertio ad Hebr. 2, 14.: Quia pueri communicaverunt carni et sanguini et ipse Christus similiter participavit eisdem i. e. filius Dei pro salute hominis, habentis carnem et sanguinem, assumsit carnem et sanguinem et ita univit ea sibi et honestavit, ut vere possint dici caro Dei et sanguis. Act. 20, 28.: Posuit vos Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ergo sanguis Christi vere est sanguis Dei, ideo pretiosus, quod una gutta plus valet quam totus mundus.

Secundum circa pretiositatem sanguinis Christi praecipue notandum est tanti pretii pro homine dandi ratio et haec est triplex:

Prima, magni debiti necessaria solutio. Maximo enim debito obligatus est primus homo, quia tenebatur Deo satisfacere pro se et toto humano genere, quod rapuerat et occiderat pomum vetitum comedendo.

Unde jussus est cum omni progenie mitti in gehennae carcerem, donec redderet omne debitum per sufficientem hostiam. Justum est enim secundum peccati quantitatem et laesae majestatis dignitatem fieri satisfactionem et hoc potest tribus gradibus distingui. Pro minore enim culpa minor, pro majori major, pro maxima satisfactio maxima est facienda. Hinc statutum erat in lege pro transgressione diversorum mandatorum pecus aliquod offerri vel occidi et sanguinem ejus fundi; sed pro majori peccato vel homicidio simplici, ipsum homicidam occidi et sanguinem ejus fundi. Ex hoc sequitur, quod pro tot homicidiis primi parentis, qui omnes homines occidit, quia per eum omnes moriuntur, et pro laesa per hoc maximi creatoris majestate tam pretiosa hostia debet offerri Deo et occidi et sanguis ejus fundi, qui ad minus tantum valeat, quantum omnes homines, qui sunt occisi. Sed quia talis in omni creatura non poterat inveniri, necesse fuit ad solvendum tantum debitum et ad liberandum de inferni carcere genus humanum', filium Dei hominem fieri, omni creatura meliorem et ipsum pro debito hominis occidi et sanguinem ejus fundi. Ad Hebr. 9, 21.: Omnia pene in sanguine mundantur secundum legem et sine sanguinis effusione non fit remissio. Gen. 9, 6.: Quicunqne funderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo. Bern.: Filius Dei jubetur occidi, ut vulneribus nostris pretiosi sanguinis sui balsamo mederetur. Agnosce anima, quam gravia sunt illa vulnera, pro quibus necesse est, Dominum Jesum Christum vulnerari: nisi enim essent ad mortem aeternam, nunquam pro eis filius Dei moreretur.

Secunda ratio tanti pretii dandi est magni amoris demonstratio. I. Joan. 5, 8.: Tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis. Spiritus, quem misit de corpore, aqua, quae fluxit de latere, et sanguis, quem effudit de corde, testes sunt dilectionis maximae. Bern.: Vera copiosa Christi redemptio, quia undam sanguinis per quinque partes corporis largiter effudit, cum pro redemptione generis humani una gutta pretiosi sanguinis ejus sufficeret, sed data est copia, ut magnitudine muneris virtus innotesceret diligentis. Ut enim ostenderet, quantum te diligeret, non aliter voluit quam moriendo te de morte liberare. Aug.: O anima mea pretiosa, non auro redemta vel opibus sed agni immaculati sanguine, attende, quid valeas, quid pro te datum sit cogita. Noli temetipsum tradere in perditionem, pro qua Christus suum pretiosum fudit sanguinem.

Tertia ratio tanti pretii dandi est magni boni perditi recuperatio; et hoc est triplex sc. libertas a servitute diaboli, introitus coelestis regni, haereditas filiorum Dei. De primo Joan. 8, 36.: Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis. De secundo Hebr. 9, 12.: Christus introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa; habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. Hier.: Sanguis Christi est clavis paradisi. In passione enim Domini coelum diu clausum, quasi soluto sanguinis ejus pretio est apertum. — De tertio Lev. 25, 25.: Si attenuatus frater suus vendiderit possessiunculam suam volueritque propinquus ejus, potest redimere, quod ille vendiderat. Hoc fecit Christus pretio sanguinis sui.

CAPUT XXVIII.

De sanguinis Christi valore et magnitudine virtutis illius in cruce fusi et de redemptorum multitudine.

Tertium circa pretiositatem sanguinis Christi, ut consideratur in cruce fusus, praecipue notandum, est virtutis magnitudo et consistit haec in tribus: in diaboli destructione, in mundi redemptione, in Dei reconciliatione.

De primo Job 40, 20.: Numquid capies Leviatham hamo; supple: sicut ergo Leviatham est diabolus, hamus sive aculeus in esca, est Dei filius in carne humana assumpta absconditus. Isto hamo captus est diabolus et deceptus, quia dum carnem innocentis Christi in cruce mordere et effundere sanguinem injuste praesumsit, latens aculeus divinitatis potestatem ejus perforando destruxit. Hoc figuratum est Daniel 14, 26.

De secundo I. ad Cor. 6, 20.: Emti estis pretio magno. Eph. 1, 7.: Habemus redemptionem per sanguinem Christi in remissionem peccatorum. Hinc canit ecclesia: te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. Aug.: Quid fecit redemptor captivatori nostro? Tetendit ei muscipulam, crucem suam, posuit ibi escam, corpus et sanguinem suum. Ille autem sanguinem fudit non debitoris, propter quod jussus est reddere debitores. Hinc canit ecclesia: o crux gloriosa, per quam diabolus est victus et mundus Christi sanguine redemtus.

De tertio ad Coloss. 1, 18.: Christus est caput corporis ecclesiae pacificans per sanguinem crucis, sive

quae in terris, sive quae in coelis sunt. Hinc post passionem et resurrectionem ostendit discipulis cruentas manus et latus dicens: Pax vobis. Haec pax cum Deo sive reconciliatio fit per sanguinem Christi triplici ratione: Ratione pretio sufficientis, quod in eo pro nostris debitis solvit: Sanguis pro vobis fundetur in remissionem peccatorum. (*Luc.* 22, 20.) Ratione formositatis, qua nos Deo gratos fecit: Christus dilexit nos et tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo, gratam ad effectum nostrae reconciliationis, causa nimiae dilectionis. Nam si Noe justus, ut dicitur, in tempore iracundiae factus est reconciliatio propter justitiam, multo magis Christus propter nimiam caritatem; quia obtulit pro nobis Deo proprium sanguinem. — Ratione gratissimae caritatis, quam in hoc facto demonstravit: Apoc. 1, 5.: dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo et fecit nos Deo nostro regnum et sacerdotes. Ecce peccatores Deus sanguine suo lavit, formosos, roseos et Deo gratos fecit et sic reconciliavit, ut in curia Dei principes faceret.

Quartum circa pretiositatem sanguinis Christi praecipue notandum est redemptorum multitudo. Tres enim exercitus magni sanguine ejus sunt redempti sc. manifesti inimici, antiqui justi, dubii amici. Primi de vinculo peccati, secundi de limbo inferni, tertii de dubietate fidei. Propter haec tria effudit sanguinem de tribus locis: de manibus, de pedibus, de vulnere lateris.

Primo de manibus, ut peccatores virtute sanguinis a vinculis peccatorum absolveret, absolutos ad se revocaret: Porrexit sacerdos magnus manum suam in libationem et libavit in sanguine uvae, ut sc. peccatorum vincula solveret. (*Eccl.* 50, 16.) Aug.: Christus

ob hoc sanguinem suum fudit, ut peccata nostra deleret. Unde enim diabolus nos tenebat, deletum est sanguine redemptoris: non autem tenebat nos nisi vinculis peccatorum. Isa. 44, 22.: revertere ad me, quoniam redemi te. Porrexit itaque Christus manum in cruce et libavit sanguinem, solvens omnes a vinculis peccatorum et adhuc quasi aufugientem manu cruenta revocat peccatorem.

Secundo de pedibus fudit sanguinem, ut antiquos justos de limbo inferni educendos demonstraret et ad patriam coelestem perduceret. Thren. 1, 15.: Torcular calcavit Dominus virgini Juda. Arbor et tortura arboris significat passionem Christi in ligno crucis, qui vero in torculari calcat, sanguinem uvae pedibus fudit, ut multos ex eo laetos faciat. Christus ergo virgini Juda torcular calcavit, qui in passione crucis sanguinem effudit et justos in fide corruptos de inferno liberans laetificavit. Zach. 9, 11.: Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non est aqua sc. coelestis refrigerii. Hebr. 9, 11.: Christus assistens pontifex etc. Ps. 67, 18.: ascendens in altum captivam duxit captivitatem.

Tertio fudit sanguinem de vulnere lateris et cordis, ut discipulos in fide dubios et alios multos in fide et bonae vitae stabilitate tentatos et ideo frigidos quasi mortuos calefaceret et revivifaceret et revivificatis suo sanguine ita coeleste significaret, ut post ipsum ruentes currerent. Joan. 19, 34.: Unus militum lancea latus ejus aperuit et continuo exivit sanguis. Cant. 4, 9.: vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, quia attende me vulneratum propter te; vide sanguinem meum et sequere me. Joan. 20. 20.: Venit Jesus et

ostendit discipulis manus et latus sc. cruentum, non solum ut eos in fide confortaret, sed ut per multas tribulationes monstraret exemplum.

CAPUT XXIX.

Hic notantur tres quaestiones: 1. cur hoc sacramentum detur sub specie duplici; 2. cur populus non sumit sanguinem ut sacerdos; 3. quae sanguinis Christi utilitas sumpti in sacramento.

Sanguis Christi tribus modis potest considerari: primo, ut in cruce ab infidelibus funditur; secundo, ut in sacramento a fidelibus sumitur; tertio, ut praeter sacramentum a salvandis spiritualiter bibitur. De primo modo considerationis jam supra dictum est in duobus capitibus. Secundo itaque modo consideratur sanguis Christi, ut in sacramento a fidelibus sumitur et circa hoc tria supra notata quaeruntur.

Primo quaeritur, quare sacramentum sumitur sub specie duplici cibi et potus sive panis et vini: hujus triplex est ratio. Primi ad regalis convivii perfectionem; secunda ad redemptionem corporum nostrorum et animarum simul saginationem; tertia ad memoriam passionis dominicae majorem repraesentationem.

De primo Esther 1.: Rex Assuerus tertio anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis. Cibi inferebantur, vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat. Rex iste significat Christum, qui tertio anno i. e. tempore gratiae fecit convivium cibi et potus magnis et pueris fidelibus.

Ut enim ornatum et perfectionem convivii sui et mensae demonstraret, sub specie panis et vini simul sacramentum altaris administrat.

De secundo Ps. 109, 2.: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, qui sc. obtulit panem et vinum. In pane significans futuram nostrorum corporum redemptionem, in vino animarum. Ostenditur ergo: Christum corpus et animam assumpsisse et totam simul redemisse. Panis enim ad carnem refertur quam sc. nutrit, vinum ad animam, quia vinum sanguinem operatur, in quo sedes est animae secundum physicos. Unde si sub alterius specie tantum sumeretur, ad alterius tantum i. e. corporis vel animae, non ad utriusque pariter liberationem valere significaretur.

De tertio I. ad Cor. 11, 25.: Hic est calix novi testamenti in meo sanguine; hoc facite quotiescunque sumitis in meam commemorationem i. e. sanguinem meum bibetis in memoriam meae passionis. Expressius enim Christi passio ad memoriam reducitur per considerationem sanguinis quam corporis. Exod. 12, 13.: Erit sanguis vobis in signum in aedibus, in quibus eritis. Sicut enim agnus sine macula occisus est in liberationem Israel de Aegypto, sic sanguis Christi proprium et expressum memoriale est passionis illius.

Secundo quaeritur, quare populus non accipit sanguinem sub specie vini sicut sacerdos; hujus triplex est ratio.

Prima est ad habendum vas congruum hujus sanguinis contentivum. Sicut enim vinum vas specialius et diligentius praeparatum, in quo servetur exigit quam panis: sic sub specie vini sanguis Christi sumendum solum sacerdotibus conceditur tanquam vasis Domini

ad hoc specialiter consecratis et sacra religione constrictis et virtutum pulchritudine excellentius praeornatis. Hinc triplici vasi electo comparantur in scripturis, sc. altari consecrato (*Deut.* 12, 27.; *Ex.* 30, 27.), craterae ligatae (*Ex.* 24, 6.; *Eccl.* 6, 25.), aureo scypho, (*Eccl.* 50, 3.)

Secunda ratio est vitandi periculum effusionis propter multitudinem, quae se circa altare comprimit. Hinc est, quod Dominus in coena apostolis paucis et ut suis sacerdotibus non solum corpus in specie panis, sed et sanguinem in specie vini dedit. Multitudini hominum in deserto panem sine potu distribuit.

Tertia ratio est ad praecavendum erroris periculum. Si enim populus rudis acciperet sanguinem sub specie vini, vix crederet illum esse sub specie panis, cum tamen veraciter sit sub utraque specie. Nam sicut sub specie vini consecrati Christi est sanguis per transsubstantiationem, ita ibi est corpus per annexionem; et sicut sub specie panis est corpus Christi per transsubstantiationem, ita ibi est sanguis ejus veraciter per annexionem. Hic enim duo corpus Christi et sanguis, imo haec quatuor, corpus, sanguis, anima et deitas jam ultra non possunt separari. Unde sicut sumit sacerdos sanguinem Christi sacramentaliter de calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi et est eis tam utilis et tam dulcis ut sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de calice.

CAPUT XXX.

De utilitate sanguinis Christi ex sacramento digne sumti; hic attenditur ut potus aquae vivae, ut vinum spirituale et ut mysterium ecclesiae.

Tertio quaeritur de sanguine Christi, ut in sacramento sumitur a fidelibus, quae sit utilitas sive effectus. Ad hoc sciendum:

Primo potest considerari potus sanguinis Christi ut potus aquae vivae; sed potus aquae, ut dicunt Physici est humectativus aridorum, extinctivus incensorum, delativus ad membra ciborum. Similiter potus sanguinis Christi, ut significatur per aquam tres habet effectus in anima fideli: Arida ejus humectat et conjungit, male incensa refrigerat et extinguit, cibum verbi Dei ad membra vehit ut bene possint operari.

De primo Is. 44, 3.: Effundam aquam super sitientem et fluenta super aridam; ut sc. anima quasi pulvis arida ad fontale defluat et ad malum prona potu sanguinis Christi perfusa conjungatur, conglutinetur et roboretur ad bona. I. Cor. 5, 7.: Sitis nova conspersio sicut estis azymi i. e. per baptismum a vitiis sinceri facti, ita sitis aspersione sanguinis Christi quasi pasta in nova vita et bona compacti.

De secundo effectu Ps. 77, 20.: percussit petram et fluxerunt aquae ad refrigerandum sc. pravae sitis ardorem. Eccl. 3, 33.: Ignem ardentem extinguit aqua, quia sanguis signatus per aquam destruit fervorem irae avaritiae et pravi amoris et concupiscentiae. Aug.:

Scribe, Domine Jesu Christe, in corde meo vulnera tua pretioso sanguine tuo, ut legam in eis tuum dolorem ad sustinendum pro te omnem dolorem, tuum amorem ad contemnendum pro te omnem pravum amorem; quia sic apparet, quod sanguis Christi ad instar aquae contra male incensa in nobis valet.

De tertio effectu III. Reg. 19, 6.: Elias comedit et bibit aquam et ambulavit. Potus cibum ad membra vehit et ad eundum sive operandum vehit. Sic potus sanguinis Christi cibum, verbum Dei, sive praecepta ad corda defert, ut vires animae et membra corporis secundum illud vivant et regantur et bene operentur.

Secundo potest considerari sanguis Christi ut vinum spirituale et secundum hoc habet tres effectus, quia lavat, calefacit, laetificat. Lavat sordes culpae, calefacit corda caritate, laetificat spirituali dulcedine. — De primo Gen. 49, 10.: Ipse erit exspectatio gentium et lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum i. e. fidelem animam. I. Joan. 1, 7.: Sanguis Jesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato. Apoc. 22, 14.: Beati, qui lavant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae. — De secundo Deut. 32, 14.: Constituit eum, ut comederet medullam tritici i. e. dulce corpus Christi et sanguinem uvae biberet meracissimum; i. e. purum et callidum, purum ad maculam iniquitatis, callidum in effectu. — De tertio Ps. 103, 15.: Vinum laetificat cor hominis. Eccl. 31, 36.: Exultatio animae et cordis vinum moderate potatum i. e. sanguis Christi cum mensura fidei.

Tertio potest considerari sanguis Christi ut sacrosanctum mysterium ecclesiae i. e. ut res sacra et se-

creta, in qua magna virtus Dei est abscondita. Et secundum hoc habet tres effectus supernaturales: daemones enim triumphat, gratiam impetrat, in bona vita conservat donec ad vitam aeternam perducat. — De primo Ex. 12, 23.: Cum viderit Dominus sanguinem agni in superliminario, i. e. in mente fideli, non sinet percussorem ingredi domus vestras et laedere. Chrys.: Hic sanguis abigit daemones, longe facit esse. — De secundo 1. Pet. 1, 2.: In aspersione sanguinis Jesu Christi gratia vobis. — Bern.: O sanguinem Christi summe reverendum, in altari poculum, in cruce pretium, in coelo pro nobis ad patrem advocatum. — De tertio Joan. 6, 34.: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobismetipsis, quod si biberitis, bonam vitam habebitis. Joan. 6, 55.: Qui bibit meum sanguinem habet vitam aeternam.

CAPUT XXXI.

De loco, ubi potus sanguinis Christi invenitur, de usu illius, et de gratiae suavitate.

Tertio modo consideratur sanguis Christi ut praeter sacramentum a salvandis spiritualiter bibitur. Et circa hoc possunt tria inquiri. Primo locus, ubi iste potus invenitur, secundo usus, ad quem quaeritur, tertio suavitas gratiae, quae de usu ejus exoritur.

Primo quaeritur: quis sit locus, ubi potus spiritualis sanguinis invenitur. Ad hoc dicendum, quod tot sunt loca quot Christi vulnera. Ps. 77, 20.: Percussit petram et fluxerunt aquae; sicut ex foraminibus

petrae aquam Judaei, sic fideles ex vulneribus Christi hauriunt spiritualem ejus sanguinem. Zach. 13, 6.: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Responsio: ut sc. sugamus ex eis sanguinem spiritualem. Filiae tuae de latere surgent (*Js*. 60, 4.) i. e. devotae animae de vulnere lateris Christi spiritualem devotionis sanguinem bibent per piam passionis meditationem. Hinc in locis a dextris crucifixi depingitur puella hilari vultu et pulchra facie et coronata designans ecclesiam, quae sanguinem Christi reverenter in calice suscipit, et a sinistris synagoga oculis panno ligatis tristi facie inclinans caput et corona decidente, quae ipsum sanguinem fundit et adhuc contemnit. In quo figuratur, quod haec et omnis moraliter peccans tria bona perdit sc. lumen gratiae, gaudium conscientiae, coronam gloriae.

Secundo quaeritur: quis sit usus, ad quem sanguis Christi quaeritur. Et sciendum, quod ad animam totam cum tribus potentiis suis sc. intellectu, voluntate, memoria profundendam sive potandam. Ex. 12, 22.: Fasciculum hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine et aspergite ex eo superlinminare et utrumque postem. Fasciculum hysoppi significat perfectionem et integritatem fidei, limen domus est Christus, per quem conceditur ad coelum introitus. Fasciculum autem hyssopi tingere in sanguine, qui est in limine, est per fidem rectam sanguinem passionis Christi devorare et confirmare. Sed debemus eo utrumque postem et superliminare aspergere i. e. intellectum, affectum et memoriam ita sanguine Christi perfundere et spiritualiter inebriare, ut intellectus hujus sanguinis circa genus humanum virtutem recognoscat; affectus tam

ingens erga se beneficium diligendo sapiat et memoria tanti amoris et largitatis sacramentum nunquam obliviscendo semper teneat.

Tertio quaeritur: quae sit spiritualis suavitas gratiae, quae de tali usu sive de perfusione praedicta hujus exoritur; et potest dici, quod facit animam quasi paradisum Dei de suavitate hujus gratiae. I. Pet. 1, 2.: In aspersione sanguinis Jesu Christi gratia vobis et pax multiplicetur: gratia virtutum fertilitas, pax, *dulcedo* cordis atque serenitas. Hujus suavitas gratiae per irrigationem sanguinis Christi comparatur paradiso Dei. Eccl. 40, 17.: Gratia sicut paradisus in benedictionibus i. e. sicut hortus Dei in variis deliciarum fructibus. Jer. 31, 12.: Erit anima eorum quasi hortus irriguus. Irrigata enim anima dulcedine sanguinis Christi profert triplicem suavitatem gratiae sc. dulces flores virtutum, frondes verborum, fructus operum.

Primo spirituali effusione sanguinis Christi oriuntur quasi in paradiso Dei dulces et varii flores virtutum. Nam sicut sanguis hominis triplicem habet colorem, sanus rubeum, coctus multum colorem album habet, ut lac in mamillis, et maxime coctus nigrum: sic spiritualis influentia sanguinis Christi operatur in anima quasi in paradiso Dei flores virtutum varii coloris sc. rosas caritatis, lilia castitatis, violas humilitatis. De primo: Justus quasi flos rosarum in vernis (*Eccl.* 50. 8.); quia rutilat roseo sanguine Christi virtute caritatis. — De secundo: Justus quasi lilia, quae sunt transitu aquae, qua sc. candent castitate, et bene decocti in corde ejus Christi sanguinis irrigatione. Apoc. 7, 14.: Laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni. Ose 14, 6.: Ero quasi ros et Israel germinabit

quasi lilium. — De tertio: Jam hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra. (*Cant.* 2, 11.) Flores primi post hiemem sunt violae nigrae coloris, pulchrae, boni odoris et terrae vicinae. Hi flores significant animas humiles ex consideratione sanguinis Christi, in passione multum torti quasi denigratas i. e. sibi viles et coram superbis despectas. Ez. 7, 32.: Nigrescere faciam stellas coeli i. e, ardentes spiritus caritatis et lucentes verbo veritatis, nigrescere faciam sanguine Christi ut nigras et pulchras violas virtute humilitatis.

Secundo ex spirituali perfusione sive potu sanguinis oriuntur in anima quasi in paradiso Dei frondes verborum bonorum et dulcium eloquiorum. Eccl. 39, 19.: Florete flores et frondete in gratiam; quia sc. electi non solum flores virtutum sed etiam verborum bonorum proferunt ex potu sanguinis Christi ad triplicem gratiam sc. ad peccatorum conversionem, ad inimicorum reconciliationem, ad moestorum consolationem. Hinc arbores irrigatae triplicia proferre leguntur folia: medicinalia, pulcherrima et viridia. De primo Ez. 47, 12.: Folio ligni paradisi Dei ad medicinam et sanitatem gentium i. e. peccatorum, quia aquae ejus de sanctuario egrediuntur. Aqua sanctuarii spirituali potu sanguinis Christi efficit verba sancta praedicationis ad salutem peccatoris. De secundo Daniel 4, 8.: Ecce arbor et folia pulcherrima et subter eam latitabant animalia bestiae et in ramis volucres coeli. Eccl. 6, 5.: Verbum dulce mitigat inimicos et multiplicat amicos. — De tertio Jer. 17, 7.: Benedictus vir, qui confidit in Domino et erit tanquam lignum, quod transplantatur super aquas et erit folium ejus viride.

Viridis color inspectus maxime in herbis et foliis oculos turbatos reparat et confortat. Unde per hujusmodi folia bonorum verba significantur, quae tristes et miseros consolantur. Job 19, 29.: Cum sederem quasi rex, eram tamen moerentium consolator.

Tertio ex spirituali potu sanguinis Christi oriuntur in anima quasi in paradiso Dei bonorum operum fructus. Eccli. 24, 42.: Rigabo hortum plantationum et inebriabo prati mei fructum. Rigabo sanguine Christi hortum animae, inebriabo fructu bonorum operum coelesti dulcedine i. e. irrigati potu sanguinis Christi faciunt dulcem fructum bonorum operum ad utilitatem proximi, quem etiam ipsi comedent in retributione coelesti.

CAPUT XXXII.

De triplici potu sanguinis Christi.

Potus sanguinis Christi triplex est: sacramentalis, intellectualis, spiritualis. Sacramentalis, quia a solis sacerdotibus sumitur sub specie vini de calice; intellectualis a populis christianis sumitur sub specie panis de ipso Christi corpore; spiritualis, qui ab omnibus salvandis sumitur de passione Christi pia meditatione. Primo modo sumptus peccata quotidiana relaxat, secundo modo fidelem mentem dulcedine sua delectat, tertio modo totam animam irrigando foecundat.

Primus potus sanguinis Christi est sacramentalis, quia a solis sacerdotibus sumitur de calice altaris. Iste potus digne sumptus peccata quotidiana relaxat et hoc triplici ratione: quia tria mala sunt in peccato

veniali sc. quaedam macula conscientiae, quaedam poena tristitiae et quaedam adversitas offensae divinae. Contra haec tria mala proprie valet potus sanguinis Christi, qui est purus, lenis et pretiosus; ratione puritatis lavat, ratione lenitatis sanat, ratione pretiositatis placat. Lavat conscientiam animae maculam removendo; sanat poenam tristitiae corda fidelium consolando, placat offensam divinae justitiae pro nobis interpellando. De primo, ad Hebr. 9, 14.: sanguis Christi emundabit conscientiam vestram. Gen. 49, 10.: Expectatio gentium lavabit in sanguine uvae pallium suum i. e. animas nostras. De secundo Zach. 10, 7.: Laetabitur cor eorum quasi a vino. Vinum est sanguis uvae et significat sanguinem Christi, quem sumimus in altari. Iste potus cor bonorum laetificat, quia conferendo solatium spiritualis laetitiae sanat a tristitia culpae. Ps. 22, 7.: Calix meus inebrians quam praeclarus est. De tertio ad Hebr. 12, 14.: Accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel; quia sanguis Abel clamat vindictam ad Deum, sanguis vero Christi postulat et impetrat indulgentiam.

Sciendum quod tria genera graviter arguuntur in scripturis, quae nimis peccant in sanguine Salvatoris. Primi sunt corpore immundi, qui sanguinem Christi in magnis peccatis indigne sumunt: secundi corde indurati, qui ad virtutem sanguinis Christi converti nolunt, tertii procuratores pravi, qui lucrum de sanguine Christi ad pravos usus convertunt. De primis I. ad Cor. 10, 20.: Non potestis bibere calicem Domini et calicem daemoniorum. Calix diaboli est luxuria carnis et mundi. Ad Hebr. 10, 28.: Irritam, quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus

testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est et spiritui sancto contumeliam fecerit? — De secundis Jerem. 5, 3.: Induraverunt facies suas supra petram et noluerunt reverti, quasi diceret: Quidam pertinaces in sua malitia duriores sunt corde quam petra et quaelibet saxa dura, quia ad clamorem Christi in cruce et ejus sanguinis effusione terra tremuit et petrae scissae sunt; sed isti nec ad terribilem vocem praedicationis nec ad virtutem sanguinis Christi possunt emolliri et a sua pravitate converti. De tertiis Jer. 22, 13.: Vae. qui aedificat domum suam in injustitia, qui aperit sibi fenestras et facit laquearia cedrina, pingit synopide sc. rubro colore i. e. sanguine Christi. Gloss.: Qui domum aedificat materialem de male acquisitis, vel ornat superflue de sanguine Christi, graviter peccat. Sed multo gravius, qui domum spiritualem i. e. familiam pravam, quasi partes domus ut fenestras, per quas diabolus et fures intrant, et laquearia quasi laqueos diaboli injuste aedificat et pingit i. e. vestit vel ornat sanguine Christi. Hic dicitur: vae i. e. gravis increpatio et aeternae poenae comminatio.

Secundus potus sanguinis Christi est intellectualis, qui a populo christiano sumitur sub specie panis de ipso corpore Salvatoris. Nam sicut sub specie panis consecrati corpus Christi est per transsubstantiationem et sanguis ejus per annexionem: sic sub specie vini consecrati sanguis Christi est per transsubstantiationem et corpus ejus per annexionem. Unde sicut sacerdos sumit sanguinem Christi sacramentaliter de calice, ita fidelis populus sumit ipsum intellectualiter. Hic potus

fidelem mentem dulcedine sua delectat. Haec dulcedo tria bona facit sc. contemptum vitiorum, gratiam bonorum eloquiorum, desiderium aeternorum. — De primo Prov. 27, 7.: Anima saturata calcabit favum. Qui enim melle sanguinis Christi saturati sunt, omnis peccati suavitatem contemnunt. — De secundo Matth. 12, 34.: ex abundantia cordis os loquitur; sicut de vase sic est de corde. Vas plenum felle effundit amaritudinem; plenum melle dulcedinem. — De tertio Eccli. 24, 29.: Qui bibunt me, adhuc sitient. Greg.: In corporalibus appetitus placet, experientia disciplicet, spiritualis vero dulcedo quanto magis bibitur tanto magis sititur. Quia ex pleno fonte stillatim mundo cordi degustando illabitur, ejus plenitudo potando magis desideratur.

Tertius potus sanguinis Christi est spiritualis, qui ab omnibus salvandis sumitur de passione Christi pia meditatione. I. Cor. 10, 4.: Patres nostri omnes eundem potum spiritualem biberunt. Sicut patres boni de foraminibus petrae aquam biberunt et in illa sanguinem passionis Christi crediderunt figuratum et per fidem gustaverunt: ita boni Christiani de vulnerum Christi pia meditatione sanguinem ejus solent bibere. Hic potus totam animam quasi hortum Dei irrigando fructu bono foecundat. Fructus autem bonorum triplex est sc. honestae conversationis, sacrae devotionis et jucundae pietatis. De primo pascit homo seipsum, de secundo Deum, de tertio proximum. — De primo Eccl. 24, 23.: Ego quasi vitis fructificavi et flores mei fructus honoris et honestatis i. e. honestae conversationis. Matth. 7, 17.: Omnis arbor bona fructus bonos facit. De secundo Cant. 4, 12.: Hortus conclusus soror mea, emissiones tuae paradisus malorum punicorum. Emis-

siones istae sunt fructus devotionis. Prov. 8, 13.: Deliciae mihi sunt esse cum filiis hominum, quia sc. delectatur in amore et devotione nostra quiescere. — De tertio fructu sc. pietatis, quo reficitur proximus Ps. 51, 8.: Ego quasi oliva fructifera in domo Dei. Oliva portat oleum aliis ad lucendum, sanandum et reficiendum et significat opus pietatis, quod impenditur proximis. I. ad Tim. 4, 8.: Exerce teipsum ad pietatem. Pietas enim ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est et futura. Ad quam nos perducat, qui est benedictus in saecula. Amen.

Im Verlage von G. J. Manz in Regensburg ist erschienen und durch alle Buchhandlungen zu beziehen:

J. Bona, Card.,

de sacrificio Missae

tractatus asceticus. Accedit diurnus cibus sacerdotum, mensae altaris praevius, auct. P. Bruyer. Nec non mensis eucharisticus, hoc est praeparationes, aspirationes, et gratiarum actiones pro sumptione sanctae Eucharistiae, per singulos mensis dies distributae. Auct. X. Lercari S. J. Cum appendice. Ed. nova et emend. 12. 48 kr. od. 15 sgr.

M. Benger,

Pastoraltheologie.

3 Bde. gr. 8. 12 fl. 15 kr. od. 7 Thlr. 18 sgr.

Obiges Werk erschien statt einer achten Auflage der Gollowitz'schen; keineswegs ist sie eine bloße Bearbeitung, sondern ein völlig neues Werk. „Wir haben das Werk genau durchgesehen, und können nach gewissenhafter Prüfung sagen, daß durch selbes dem immer noch spärlich angebauten Fach der Pastoraltheologie in Wahrheit eine Bereicherung erwachsen sei. Der Inhalt ist fast durchweg ein sehr gediegener, die Principien, von denen der Verfasser ausgeht, sind streng kirchlich, die ganze Haltung des Werkes ist eine durchaus positive; die heil. Schriften, mit welchen der Verfasser außerordentlich vertraut ist, die Werke der heil. Väter, und a. Heiligen, sowie die Acten allgemeiner und provinzieller Concilien sind die Quellen, aus welchen der Verfasser mit sicherm Tacte geschöpft hat. Daß ihm auch eine reiche eigene Erfahrung zur Seite stehe, und daß er die concreten Seelsorgsverhältnisse gut kenne, zeigt er fast auf jedem Blatt seines Buches."

K. Lit. Bl. No. 2.

P. J. P. Gury S. J.,
compendium theologiae moralis.
Editio in Germania III[a] ad recentissimae editionis gallicae fidem impressa, emendata, et permultis additamentis aucta. 8 maj. 3 fl. 24 kr. od. 2 Thlr. 3 sgr.

Dr. C. Kozma de Papi,
LITURGICA SACRA CATHOLICA
exhibens sacrorum ecclesiae romano-catholicae rituum origines, causas, significationes. Ed. II. 8 maj. 3 fl. od. 1 Thlr. 24 sgr.

K. Nehr,
lateinische Messe,
kurz und leicht ausführbar für 4 Männerstimmen. qu. 4. 48 kr. od. 15 sgr.

K. Nehr,
sechs leichte und kurze Motetten
für Tenor I. & II., Bass I. & II.,
oder für Cantus, Altus, Tenor & Bassus. qu. 4. 48 kr. od. 15 sgr.

K. Nehr,
Officium defunctorum
mit einem Anhange verschiedener, häufig vorkommender **Gesänge** und **Responsorien**. Ein Handbuch für Cantoren, Chorregenten und Lehrer. 12. 40 kr. od. 13½ sgr.

G. Phillips,
Lehrbuch des Kirchenrechts.
2 Abtheil. Lex. 8. 12 fl. od. 7 Thlr. 10 sgr.